



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

Capvt Quartvs. De necessitate & modo ministrandi sacramentum
Eucharistiæ tempore pestis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

CAPVT QVARTVM.

DE NECESSITATE ET MODO
*ministrandi sacramentum Eucharis-
tia tempore pestis.*

QVÆSTIO I.

*Vtrum teneantur pastores administrare sacra-
mentum Eucharistia tempore
pestis?*

Quæstionis explicatio.

PERIQUE omnes docent, Pastores teneri ministrare duo sacramenta tempore pestis: Baptismum videlicet & Pœnitentiam, quia vtrūque necessarium est ad salutem, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii: De Eucharistia vero non eodem modo omnes loquuntur: quidam enim dicunt necessariam tantum esse necessitate præcepti, quidam etiam necessitate medii. Nouissimæ vero reformationes Ducatus Hassiæ pastoribus ad obseruandum sub pœna exilii, anno proxime præterito, propositæ, inter alios articulos hæreticos, blasphemos, erroneos, hunc quoque ad propositum præses
T 3 habent

habent: *Communio aegrotis decumbentibus, ut periculosum, nominatim grassante peste, non deferatur.* Merito itaque quaritur, an pastores teneantur hoc sacramentum illo tempore ministrare?

Responsio.

Teneantur regulariter: quia suo modo est sacramentum necessitatis.

Primò. Nam in articulo mortis est in pcepto iuris diuini secundum (a) plerosque Theologos: Parochus autem tenetur ex officio cooperari suo subdito, ut ius diuinum compleat, quantum in ipso est.

Secundo. Quia secundum (b) plures est medium quodammodo necessarium ad conseruandam gratiam, quæ est in vita spiritualis animæ, & ad vincendas tentationes, quæ illo tempore à Dæmonibus, calcaneo nostro insidiantibus, ingeruntur. Tenentur autem pastores ratione officii subditis suis succurrere, non solum in extrema, sed etiã in graui necessitate, ut ante diximus.

Tertio. Quia fieri potest, ut pcepto hoc sacramento multi saluentur, qui alias darentur. Nam secundum comunem potest conferre primã gratiam, quam imperfecta cõtritio non cõtulit, sicut Sor^o (c) explicat.

Quarto. Quia Episcopi passim compellunt suos parochos ad ministrandã aegrotis Eucha-

a Richardus

d. st. 12. ar. 6.

q. 1. Durãd.

dist. 9. q. 2. ar.

2. Gabr. q. 1.

Soto dist. 12.

q. 1. ar. 1. Su-

arez. dist. 69.

sect. 3. §. Di-

ces primò.

b S. Thõ. 3. p.

q. 73. a. 3. Bel-

lar. lib. 1. de

Euch. c. 7. in

fine argũ. 3.

Zambrã. de

euch. dub. 1.

qui alios plu-

res citat.

c Sotus in 4.

dist. 12. q. art.

4. §. Respon-

detur ergo.

Eucharistiam, tanquam necessariū viaticum, quod non esset iustū, si ex vi officii sui non teneant: Et talis est usus non solum per diocesim Leodiensem, sed etiam per totam Ecclesiam semper obseruatus.

Postremo. Magnū scandalū esset in populo, si sacerdos subditos permitteret mori sine viatico: signum ergo est, pastores ad illius administrationem obligari.

Dixi (*regulariter*) quia cum viaticū nō ita sit necessariū sicut baptism. & pœnitētia, facilius potest in particulari occurrere excusatio in administratione huius sacramenti, quam illorum duorum, ut infra suis locis dicitur.

Dices: Id statuendū est pro regula in moralibus. quod frequētius accidere solet: Sed frequētius euenit, ut pastor excuset à ministratione huius sacramēti, quam non, puta, quia plerique sunt cōtriti, vel etiā paucis ante diebus cōfessi & absoluti sacramentaliter: E. cōtrario modo statuēda est responsio; videlicet, excusari regulariter pastores à ministratione huius sacri, quibus quibusdam casibus ad hoc ministrandum teneantur.

R. Negādo subsumptū, & ad eius probationes dico 1. Contritionē admodū esse difficilē, ut diximus. 2. Posito, quod cōfessi & absoluti fuerunt, nihilominus, si (ut cōmuniter fit) aliquantū tēporis à cōfessione supuiāt,

egent gratia sacramenti Eucharistiae, ad p-
seuerandum in iustitia per pœnitentiam re-
cuperata, & ad superâdas tentationes, que
illo tempore & per plurimâ & grauissimâ
superuenire solent. Adde, quod si propter
huiusmodi causas statueret pro regula non
debere pastores regulariter omnibus, sed
quibusdam tantum ministrare Eucharisti-
am, plerique desererent administrationem
huius sacramenti, quod esset consuetudi-
nem vniuersalis Ecclesiæ euertere, & ani-
mas graui salutis periculo exponere.

QVÆSTIO II.

An etiam cum periculo vitæ?

Quæstionis explicatio.

CVM pastor non teneatur vitam suam
corporalem exponere periculo, nisi
propter extremam vel valde grauem suam
vel proximi necessitatē spiritualem, secun-
dum communem: ex defectu autem sacra-
mēti Eucharistiae quis non constituatur in
extrema, & secundum quosdā non vsq; ad
eo graui necessitate spiritali: Horum oc-
casionē quæritur, an pastores cum pericu-
lo vitæ corporalis teneatur ministrare hoc
sacramentum, an vero excusentur?

Responsio.

TEnentur saltem cum periculo comū-
ni & ordinario talis egritudinis, q̄a (vt
supra

superiore quaestione diximus) ex mēte plurimorum Doctorum Eucharistia est mediū suo modo necessarium ad conferuandam gratiam, ita vt nisi illa egris eo tempore ministraretur, in graui admodum salutis suæ periculo relinquantur.

Dixi: (Cum communi & ordinario periculo) quia pastor poterit excusari, si periculum contagionis multum augeatur, & necessitas proximi diminuatur, puta, quia ager forsan à pauco tempore communicauit, & pastor moraliter sibi certo persuadere potest illum esse in statu gratiæ, quia agrotus doctus est & prudens, & sollicitus salutis suæ, & pestis passim grassatur, plerosque omnes corripens.

Dices: Pastores secum cogitantes de statu suorum subditorum peste infectorum, non possunt se resoluerē, an sint vel non sint in statu gratiæ, sed fluctuant inter spem & metum, tenebuntur & illis casib. ministrare hoc sacramentum cum ordinario periculo contagionis.

R. Tenebuntur, quia in huiusmodi, vbi a *Clem. 1. de* periculum est æternæ damnationis, habet *privileg. & Clemen. dudum. de Religiosis.* locum illa regula (a) iuris, in dubiis tutiorem *b Conc. Carthag. 1. c. 7.* partem esse eligendam, quod etiam speciatim notauit (b) Adrianus.

T 5

QVÆ-

QVÆSTIO III.

*Absente siue iuste siue iniuste pastore, an possit eger
aduocare sacerdotem religiosum, qui illi hoc
sacramentum ministret?*

Quæstionis explicatio.

*a Clement. 1.
de priuileg.
& Clem. du-
di, de Reli-
giosis.
b Conc. Car-
thag. 1. c. 7.*

Ire (a) Canonico vetatur, ne quis ab alio quam proprio parochio sacramenta percipiat, nisi illius aut Superioris licentia habita, & in particulari de hoc sacramento habetur in Concilio (b) Carthaginensi. *Statuat grauitas vestra, vt vnusquisque clericus vel laicus non communicet in aliena plebe absque literis Episcopi sui, & omnes Episcopi responderunt, in hoc clero & laicis conuenientissime prouideri.* Et in priuilegiis datis ordinibus mendicantium, quibus conceditur illis facultas, vt possint hoc sacramentum fidelibus dispensare, excipitur communio Paschalis & articuli mortis, quo per modum viatici sumi debet Eucharistia. Et disertis verbis Paulus III. in priuilegio Patribus Societatis concessio illum expressit: Horum occasione quaeritur, an absente, siue iuste, siue iniuste parochio, poterunt peste infecti religiosum aduocare, qui illis sacrum hoc administret.

*c c. 1. Man.
num. 25.
b verb. exco-
municatio. 7*

Responsio.

Aliqui existimant non posse, vt (c) Nauarrus & (d) Syluester, & fundari videantur.

dentur, quia Eucharistia non est sacramen-
tum necessarium ad salutem: Alii (a) verius
purant non solū posse, sed etiam agrū tene-
ritalem vocare in necessitate siue extrema
siue graui, qualis cōmuniter in tali casu re-
periri solet. Ratio horum est, quia in (b) iure
tempus interdicti, mortis articulo æquipa-
ratur quoad pœnitentiā & Eucharistiam.
Sed pœnitentia potest à quocunq; in illo
articulo dari, vt patet ex Concil. (c) Triden.
ergo & Eucharistia; plus enim videtur esse
eam concedere tempore interdicti, quam
vt à quocunq; sacerdote ministraretur. Con-
firmatur, quia dispensatur in præcepto ie-
iunii, ne infirmus decedat sine cōmunionem,
vt notum est, ergo à fortiori dispensabitur
vt in tali articulo per quemcunq; sacer-
dotem ministraretur Eucharistia. Deinde te-
petur ecclesia suis subditis fidelibus sub-
uenire, præsertim in spiritualibus neces-
sitatibus: necessitas autem huius sacra-
menti, quamuis non sit extrema, est ta-
men valde grauis, vt antea ostensum
est.

a *Angel. ver.
ex cōmunica-
tio c. 5. cas. 12.
n. 5. cum ibi
citatis.*

b c. *Quod in
te, de pœnit.*

c *Sess. 14. c. 7.
de doct. pœnit.*

Dices: Absente pastore tempore pascha-
tis, non potest subditus vocare aliquem re-
ligiosum, qui illi ministret Eucharistiam,
vt satisfaciat præcepto communionis pa-
schalis, nisi prius habita facultate à suo pa-
store

stote vel superiore, ergo nec licebit illi in articulo mortis.

a arg. c. quod in te, de poen. & remiss.
 R. Negando consequentiam: Est enim maxima ratio diuersitatis inter articulum mortis & alias necessitates, quia in illo absente (a) pastore, sicuti propter urgentem necessitatem, licet cuicumque sacerdoti beneficium absolutionis impendere; ita etiam licet hoc sacramentum ministrare, etiam si non habeant ad hoc specialem facultatem à pastore concessam: aliis vero casibus, quibus ea non inest necessitas, non licet, nisi supposita aliqua facultate vel privilegio ministrandi.

QVÆSTIO IV.

An etiam possit aduocare nominatim excommunicatum, suspensum, irregularem, realiter degradatum hereticum?

Questionis explicatio.

b Durand. & Palud. in 4. dist. 13.
 SI non defuerunt qui negarent huiusmodi posse aduocari in necessitate baptismi & pœnitentiæ, mirandum non est non defuisse (b) qui negarent posse vocari in necessitate huius sacramenti, quod (vt diximus) non est tantæ necessitatis, sicut præcedentia: Horum occasione quaritur, an in necessitate huius sacramenti possint tales

tales in defectum aliorum aduocari?

Responsio.

Possunt: secluso periculo scandali publici, aut infamiae religionis aut similis alterius periculi, quia poenitentia & Eucharistia quoad hoc in (a) iure aequiparantur: Sicut ergo pro sacramento poenitentiae in necessitate vocantur quicumque sacerdotes, quantumuis praecisi & haeretici; ita etiam vocari poterunt pro sacramento Eucharistiae. Neque hoc in fauorem haereticorum, & huiusmodi malorum ministrorum sed solum ipsorum fidelium in necessitate existentium: sic enim censura latae sunt in odium iniquorum, ut non cedant in grauissimum detrimentum bonorum fidelium.

a c. Quod in te. de poenit. & remiss.

Dixi: (secluso periculo scandali aut infamiae religionis) quia illis positus nullo pacto licet, ut notum est.

Dices, (b) D. Gregorius laudat Hermenigildum, eo, quod in fine vitae noluit ab haeretico Eucharistiam accipere.

b lib. 6. Dialog. c. 31. & habetur in c. superueniente, q. 1. c. ult.

R. Fuisse tunc periculum infamiae religionis & aliorum incommodorum, quae recensuimus, quantum ex historiis colligi potest, & ideo merito laudatur, tum ob rectam intentionem, tum ob prudentem actionem, qualis Catholicum & sanctum Principem decebat.

QV E

QVÆSTIO V.

An etiam Diaconum?

Quæstionis explicatio.

Certum est solos sacerdotes licite conficere & dispensare hoc sacramentum imprimis ex illo D. (a) Pauli: *Sic nos (id est sacerdotes) existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei: nam si in genere de sacramentis hoc dixit D. Paulus, multo magis de hoc, quod omnium est dignissimum; Et ex illo Christi, (b) Hoc facite, quod ad solos sacerdotes pertinet, Christus autem consecrauit & dispensauit, ergo utrumque, solis sacerdotibus commisit. Postremo ex Conc. (c) Rhemenfi: Presbyter (inquit) per se metipsum infirmum comunicet, quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiaceat: Horum occasione quæritur, an in casu extremæ vel grauis necessitatis, in quo versamur, licebit absente sacerdote vocare Diaconum, qui ægro viaticum administret?*

Responsio.

d. d. 173
c. c. 184
f. c. 384

Licebit: Probatum pluribus Conciliis, ut (d) Nicæno, (e) Arelatensi, (f) Carthaginensi. quibus constat Diaconos in necessitate ministrasse corpus Dñi ex Episcopi vel presbyteri facultate; sic enim ut cætera breuitatis causa omittamus, Carthaginense loquitur

loquitur: *Diaconus presente presbytero Eucharistiam Christi populo si necessitas cogat, erogat. Deinde pbatur antiqua ecclesie cōsuetudine, qua constat hoc sacrum interdum à Diaconis dispensatum fuisse, præsertim quoad speciem sanguinis, vt patet ex (a) Cypriano: Solemnibus (inquit) adimpletis Diaconus calicem offerre presentibus cœpit: Et ex verbis S. Laurentii ad Sixtum: Experire vrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem. Nec refert quod de sanguine loquuntur, qui ex calice bibendus propinabatur, quia etiam legimus apud Iustinum (b) per Diaconos vtramque speciem fuisse ministratam, sic enim ibi scribitur. Absoluta gratiarum actione presulis, & emanatione totius populi, Diaconi (quos vocamus) dant singulis presentibus partem panis & calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.*

a lib. de lapsis, circa fin.

b Apolog. 24 pro Christianis

Non obstat quod ante diximus, mandari presbyteris sub graui pœna, vt per semetipfos infirmis ministrent, quia dictum capitulum loquitur de quibusdam presbyteris, qui laico vel fœminæ sacrum corpus Domini tradebant ad deferendū infirmis, quod ibi detestatur Concil. Rhemense, & licet idem capitulum post hæc subiiciat,

YB

vt presbyteri per semetipsos infirmum commun-
nicent; tamen ibidem glossa subiungit, vel
per Diaconum, si necesse est, vt patet loco ci-
tato.

Dices primo: Quid si sacerdos sit præ-
sens, nec ipse velit ministrare, nec Diacono
facultatem dare, licebit nihilominus
Diacono hoc sacramentum ministrare?

a verb. Dia-
conus, n. 3. §.
Dico secund.

R. Syluester (a) putat non licere, etiam si
ex sola malitia facultatem deneget, quia (in-
quit) Diaconus non potest id facere, nisi vt instru-
mentum presbyteri; tunc autem non potest Dia-
conus habere rationem instrumenti si principale a-
gens illum mouere nolit. Sotus (b) affirmat lice-
re, idque longe probabilius. Et ratio est,
quia præsentia sacerdotis sua potestate ab-
utentis reputanda est ac si nulla esset, & re-
currendum ad voluntatem interpretati-
uam superioris aut ipsius Christi; qui in eo
casu censetur dedisse huiusmodi faculta-
tem. Supponendum tamen hic, sicut & in
multis casibus, nullum esse gratie scanda-
lum, & satis constare, sacerdotis volunta-
tem hanc facultatem negantis esse ini-
quam; nam si fortassis rationabilem ali-
quam suæ negationis rationem haberet, ea-
ius voluntati merito parere deberet Dia-
conus.

b in 4. dist.
12. art. 3.

Dices secundo: In aliis sacramentis vi-
demus

demus obseruari, vt nemo illa ministret, nisi qui simul conficiat: Sed Diaconus non potest hoc sacramentum conficere.

R. Magnam esse rationem diuersitatis: In aliis enim sacramentis non distinguitur vsus ab ipso sacramento, & ideo cui datum non est, vt possit conficere sacramentum, eidem prohibitum est, ne possit illud dispensare, non enim possunt illa duo separari: hic vero effectio & collatio sacramenti sunt res distinctæ & separabiles, & ideo non est necesse, vt cui data non est potestas conficiendi, sit semper prohibita dispensatio.

QVÆSTIO VI.

An tandem clericum inferioris ordinis, vel etiam laicum?

Quæstionis explicatio.

POtest accidere, vt grassante & sæuiente peste, Sacerdotes & Diaconi, aut peste sint infecti, aut mortui, aut absentes, sint autem alii clerici, vt Subdiaconi, Acolyti, & similes, vel etiam laici pii & sacrarum caeremoniarum periti: Quæritur eo casu, an licebit huiusmodi ministrorum opera vti?

V

Responso.

Responsio.

*a Zuar. tom.
8. in 3. D. Th.
disp. 72. sect. 3
Caiet. in c.
26. Matth.
Zaverb. Eu-
charistia,
num. 32.*

HActenus dici solet non licere, quia videtur esse contra ecclesie consuetudinem, hodie tamen (a) plures opinantur licere, quia non est ex natura rei malum, neque contra reuerentiam sacramenti, neque aliquo precepto diuino aut ecclesiastico prohibitum. Non primū, quia certum est, fideles aliquñ solitos hoc sacrum manibus sumere. Non secundū, quia supponitur ex parte suscipientis necessitas & dispositio sufficiens, & ex parte ministrantis reuerentia debita & necessitas, quia non est alius qui ministret, nulla ergo fit sacramento irreuerentia. Neq; potest dici malum, quia diuino iure prohibitum, nullum enim tale ius est. Neque etiam quia ecclesiastico, siquidem nullum est quod specialiter de hoc necessitatis casu loquatur; nam & iura quæ generaliter loquuntur, semper hunc casum excipere celandi sunt, vt patet de excommunicatis, schismaticis, &c.

Dices primo: Est contra ecclesie consuetudinem.

R. Ecclesie consuetudinem eandem recipere interpretationem, quam iura quæ generaliter loquuntur; ad summum enim habet vim legis positivæ, & hic casus tam rarus est, vt de illo non possit dici consuetudo

tudo introducta: nam si quando occurrit, interdum etiam legitur datum hoc sacramentum à laico.

Dices secundo: Licebit quoque & illo casu laicum in peccato mortali existentem aduocare?

R. Licebit primo, quia æger petit actionem honestam & sibi necessariam, quam ille honeste & laudabiliter si velit, facere potest. Secundo, quia laicus in simili necessitate ministrans in peccato mortali, non peccat saltem mortaliter, vt plures (a) Doctores asserunt. Sicut nec laicus baptifans propter similem necessitatem in peccato mortali. Neque obstat, quod communiter dici solet illum, qui dispensat hoc sacrum in peccato mortali peccare mortaliter, quia id intelligi debet de solèni administratiõe, & que fit à ministro ad id cõsecrato; Et consequenter non est verum, quod dicit (b) Paludanus idem esse dicendum de sacerdote ministrante hoc sacramentum in simili necessitate, quia cõmunitis opinio est illum peccare mortaliter, quamuis interdum poterit excusari propter naturalem inaduertentiam, quæ prouenire posset ex nimia sollicitudine, quæ in huiusmodi necessitate à timoratis & prouidis pastoribus subinde adhiberi solet.

a Palud. in
4. dist. 3. q. 2.
cõcl. 3. Zuar.
in 3. D. Tho.
dis. 72. sect. 4.
S. Sed obit-
cies.

b. supr.

V 2

QVÆ

QVÆSTIO VII.

*Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis
hoc sacramentum ministrare?*

Quæstionis explicatio.

HActenus ostendimus, qui possint & teneantur hoc sacramentum tempore contagioso ministrare: sequitur ordine, vt dicamus de iis, quibus debet vel non debet administrari.

Responsio.

Tenentur pastores, quantum in ipsis est, curare, vt omnibus peste infectis hoc sacramentum ministrent: sunt tamen casus plures, quibus ab illius administratione excusantur. Vtrumque certum est, vt patet ex prima quæstione, nequid frustra repetatur.

Dices: Plerique omnes peste infecti incapaces sunt huius sacramenti, siquidem ii laborare solent, tum animi, tum corporis symptomatibus, vt probationem & reuerentiã, quam habere necessum est ad hoc sacramentum recipiendum, adferre non possint, vt superius insinuauimus.

R. Idcirco nos dixisse, quantum in ipsis est allaborare debere pastores, vt omnibus ministrent: Sed de his in sequentibus aliquid particulatim dicendum est.

QVÆ.

QVÆSTIO VIII.

An etiam in amentiam & furorem actis?

Quæstionis explicatio.

Non desunt (a) qui existiment, non solum non teneri pastores huiusmodi agris ministrare, sed nec licere, quia hoc est (secundum illos) contra reuerentiam sacramento debitam: Idcirco quæritur, an pastores teneantur in casu pestis hoc sacramentum ministrare huiusmodi sic affectis, an vero excusentur?

Responsio.

Tenentur, si ante amentiam piam erga hoc sacramentum mentem ostenderint, nec timeatur periculum vomitus, expuitionis aut similis irreuerentiæ. Sic enim in Concilio (b) Carthaginensi habes: *Si quis pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos in iratus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Probatum idem ratione, quia huiusmodi homines sunt capaces effectus huius sacramenti, saltem quantum ad habitum gratiæ & virtutum; quod probatur usu antiquo ecclesiæ, quo dabatur pueris

V ; ante

a *Alensis in*
4. q. 4. mēbr.
4. Gab. dist.
9. q. 2. dub. 4.

b *c. Is qui 26*
ex Concilio
Carthag. 4.
can. 36.

ante vsum rationis Eucharistia, quod nunquam fuisset factum si effectus sacramenti capaces non fuissent. Et confirmatur, quia fieri potest, q̄ huiusmodi amētes peccarint mortaliter, & in amentia inciderint tm̄ attriti, qui per Eucharistia ex opere operato efficerentur contriti. Neq; refert, si dicas illud beneficium sufficienter conferri per absolutionem, vel extremam Vnctionem, quia contingere potest, vt neutrum horum sacramentorum applicari possit, possit autē Eucharistia, vt adsit hostia consecrata, & Diaconus, non autem sacerdos. Postremo probatur, quia sic ægrotantes explicite, vel saltem implicite petendo hoc sacramentum, ius ad illud acquisiuerunt, ergo non debet illis denegari.

Dixi, (si piam erga hoc sacramentum mentem ostenderit) quia alias excusarentur pastores; sed rarus est casus in Catholicis, qui solent quotannis hoc sacramentum sumere, qui idcirco in hoc casu semper præsumuntur saltem implicite petere.

Dixi 2. (Nec timetur periculum vomitus, expuitionis, vel similis alicuius irreuerentia) quia excusabitur pastor ab administratione propter reuerentiam sacramenti.

2. 1. Cor. II.

Dices: Apostolus (a) in recepturo hoc sacramentum requirit probationem; probet (inquit)

(inquit) *seipsum homo*. Non possunt autem amentes se probare.

R. Nos præsupponere probationē præcessisse amentiam, neq; per contrariam voluntatem interruptam fuisse.

Dices 2. (a) Caietanus ad recipiendum effectum huius sacramenti requirit actua-
lem deuotionem, quam non habent nec
possunt habere amentes.

a In 3. p. D.
Thom. q. 72.
num. 1.

R. Eum loqui contra coem Theologorum sententiam & veritatem, quæ clare & certo cõfirmatur vsu ecclesiæ antiquæ, quo (vt statim diximus) pueris necdum vsum rationis habentibus, statim à baptisate infundebatur Eucharistia.

Q V Æ S T I O IX.

An etiam pueris, & qua etate?

Quæstionis explicatio.

Diximus superiori capite qua etate teneantur pastores pueris peste infectis ministrare sacramentum Pœnitentiæ; modo non erit inutile inquirere, qua etate iidem teneantur illis ministrare sacramentū Eucharistiæ, sit enim sæpe vt prætextu minoris etatis, quæ tamen plusq̃ sufficiens est, pueri hoc augustissimo sacramento eiusq; gratia frustrentur, non sine graui salutis spiritualis damno & periculo.

V 4

Responsio.

Responsio.

Tenentur pastores ministrare hoc sacramentum pueris peste infectis, si habeant vsum rationis sufficientem ad peccandum, & capaces sint sacramenti Pœnitentiæ, quia tales sunt capaces fidei & sufficientis reuerentiæ sacramenti, & non possunt expectare commodiorem neque meliorem dispositionem ad illud recipiendum propter instatē mortem. Confirmatur, quia etiam in illis locum habent verba (a) Christi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* cum vim & obligationem illorum possint percipere & adimplere, seipsum tolerabiliter probando, vt digne percipiant, voluntarieq; manducando, ergo in tali articulo obligatur præcepto diuino communicandi sicut & alii. Insuper Eucharistia est quodammodo necessaria necessitate finis ad conferuandam gratiam, ergo non est neganda iis, qui gratiam possunt amittere, cuiusmodi sunt tales pueri: Quod à contrario sensu colligitur ex Concilio (b) Tridentino, dum negat dandam esse Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, quia (inquit) *gratiam non possunt amittere.* Præterea adultus post (c) decimumquartum annum debet communicare, etiam dum bene valet, licet habeat adhuc debilem vsum

a Ioan. 8.

b Sess. 21. c.

c. can. 24.

c. D. Thom. 3.

p. q. 40. ar. 12.

Viguerin. c. 3.

§. 3. vers. 20.

Soto dist. 12.

q. 1.

Sylu. st. verb.

Eucharistia.

3. Ang. q. 3. de

Eucharistia.

sum rationis, dummodo habeat aliqualem deuotionem ad Eucharistiam, & instruat sufficienter, licet crasse: ergo ea dispositio sufficiet in pueris in tanta necessitate, qualis est articulus mortis, vt recipiant Eucharistiam conseruatiuam gratiæ vsque ad finem. Postremo, nullus fidelis in illo articulo priuatur Eucharistia, quantumuis antea facinorosus fuerit, si ostendit signa penitentia: ergo non sunt tanto bono priuandi pueri, qui sunt tolerabiliter illius capaces: Imo nec priuantur amentes & furiosi, si ante furiam piam erga hoc sacramentū voluntatem ostenderint.

Dices. Qua ætate tenentur pastores dare illis Eucharistiam?

R. Hunc ætatis terminum non posse indiuisibiliter præscribi, sed ad summum dici posse, illum contineri à decimo vsque ad decimumquartum annum, quia moraliter loquendo neque ante decimum incipit vsus rationis, qui sufficiat ad receptionē huius sacramenti, neque vltra decimum quartum differtur, & consequenter, non differt vltra illū annum obligatio illis ministrandi hoc sacramentū: quotquot enim Doctores loquuntur de ætate, qua pueri debent Eucharistiam percipere, assignant vel decimum vel vndecimum vel duode-

V 5 cimum

a 3. p. q. 90.
ar. 9.

b dist. 9. q. 4.
in fine.

c dist. 9. q. 1.
arg. 3. corp. 2.

d In 4. dist. 12.
q. 1.

e dist. 9. q. 2.
art. 5.

f Ibid. qu. 1.
art. 3.

g 3. p. qu. 80.
artic. 9.

h c. 21. n. 57.
de num. 3.

i o. 3. de Eu-
cha. dub. 3.

cimum, vel decimum tertium, vel decimum
quartum annum, vel circiter. Caietanus (a)
dicit, aptitudinem in pueris ad percipien-
dam Eucharistiam, incipere à decimo vsq;
ad duodecimum: Paludanus (b) dicit, circa
nonum vel decimum, & rationem subdit,
quia innocentia compensat ignorantiam. Maior
(c) innuit octauum vel nonum, sed rarissi-
me contingit, vt ea ætate sint idonei, vt di-
cit (d) Sotus. Gabriel (e) dicit, pueris posse
dari decimo vel vndecimo anno. D. Tho-
mas (f) dicit, dandam esse pueris, qui sum-
pturi sunt illã cum aliqua deuotione: Rur-
sus (g) alibi dicit, posse dari, quando iam
pueri incipiunt aliqualem vsum rationis
habere, vt possint deuotionem concipere
huius sacramenti: Nauarrus (h) dicit, pue-
ros debere comunicare vno aut altero an-
no postquam cœperint confiteri, atq; ad-
eo nono vel decimo anno, quia commu-
niter septimo anno apti sunt ad confessio-
nem, vt ante ostendimus. Ex quibus patet,
omnes in eo conuenire, pueris posse dari
Eucharistiam anno decimo & deinceps, si
sint aliquo modo apti, vel per se, vel ex in-
structione aliorũ. De hac re vide Zambra-
num (i) in decision. aur. casum conscien.

Dices 2. Tenentur ergo pueri statim de-
cimo ætatis anno communicare?

R. cum

R. cum (a) Soto: Non statim ac pueri ^{a In 4. dist. 12. art. 9.} perueniunt ad ætatē, in qua licite possunt comunicare, ad id obligari, sed post aliquod tempus, v. g. post annū aut alterū. Nam & vltus Ecclesiæ videtur legē de comunicādo, postq̄ ad annos discretionis puenerint, sic declarasse, & rationi consentaneū est, vt Ecclesia nō obliget quamprimū potest, sed facultatē concedat expectandi per aliquod tēpus, vel propter maiorē reuerentiā sacramenti, vel ne pueri facile exponant periculo transgressionis, in quo proinde securius erit vt consilio confessoris; nam & sic non discordabitur à verbis (b) legis, q̄ sic habet. ^{b c. Omnia utriusq; se- xus.} Nisi forte d. propriū sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendū.

Dices 3. Tenebunt etiā in aŕlo mortis, de quo disput. pueri ea etate comunicare?
 R. Corduba (c) dicit, ratione consuetudinis excusari comuniter pueros à comunicone, fæminas quidē ante 12. vel 13. annū, etiam in aŕlo mortis. Idem docet (d) Nauarrus, qui dicit, consuetudinem non tantum limitasse aut declarasse præceptum de Paschali comunicone, sed etiā præceptum de communicando: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: videlicet, vt nec in articulo mortis teneantur pueri ^{c lib. de casibus quasi. 99} ^{d c. 21. n. 5.} ^{Ioannis 6.}

pueri comunicare vsque ad aetatem in qua sani tenentur.

Dices quarto: Excusantur similiter pastores à communione puerorum peste infectorum, ante illam aetatem, duodecim vel tredecim annorum in foeminis, & quatuordecim vel quindecim in masculis?

R. Videntur eadem ratione excusari.

Dices postremo: Quid si (vt contingit in quibusdam rusticis & aliis) etiam post illam aetatem, puta, annum decimum sextum, decimum septimum, decimum octauum, habeant adhuc debilem vsu rationis, excusabitur quoque pastor à communione huiusmodi rusticorum?

R. Non excusari, sed praemissa sufficienti, pro capacitate illorū, instructione, teneri illis ministrare, quia (sicut ante obiter diximus ex D. Thomā) sufficit, vt communicaturi habeant aliqualem vsu rationis, sufficientem videlicet ad concipiendam aliquam deuotionem & reuerētiam ad hoc sacramētum, praesertim in articulo mortis, in quo diximus minorem dispositionem excusari quàm
extra illum.

):(

Q V Æ

QVÆSTIO X.

An etiam illis, qui paucis diebus ante conceptum morbum communicarunt?

Quæstionis explicatio.

Inualuit multis locis laudabilis admodū consuetudo, vt pleriq; singulis septimanis communicent: Quæritur itaque, quid si quis intermedio communionis tempore peste corripatur, an pastor teneat illi hoc sacramentum per modum viatici ministrare, an vero excusetur?

Responsio.

Quidam (a) putant teneri hac ratione. a Petrus de Ledesm. 1. p. Summæ de Euchar. c. 15. concl. 4. quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita felicius & securius migrent: sed qui modo antedicto communicauit, non sumpsit Eucharistiā vt viaticum, ergo morbo concepto tenetur iterum eam vt viaticum sumere, & consequenter tenebitur pastor illi ministrare. Confirmatur, quia hæc obligatio est propria illius temporis, quo adest tale periculum, nec orta fuerat, quādiu periculum non imminebat, ergo illi satisfacere non potuit per communionem prius

prius factam: Sicut econtra si existente periculo mortis homo peccaret communione omittendo, & postea periculum euaderet, non teneretur priorem obligationem implere, quia iam cessauit. Alii (a) putant non teneri idq; (vt apparet) probabilius, quia illi in substantia satisfecerunt praecepto communicandi in articulo mortis per modum viatici; est enim sensus huius praecepti hominem teneri paulo ante mortem communicare, nam finis praecepti videtur esse vt per communionem homo se ad transitum ex hac vita praeparet, quod satis assequitur, paulo ante mortem communicando. Sicut qui audiuisset sacrum die festo ignorans tunc esse festum, talis non teneretur eodem die iterum aliud sacrum audire postquam cognouit esse diem festum. Confirmatur, quia tempus est breue a morbo, nam moraliter tempore pestis periculum morbi & mortis imminet, & reuera existit, licet illud homo ignoret, & ideo iam censetur adesse obligatio in re ipsa, quamuis homo ob ignorantiam excusetur, quod tamen non obstat quo minus per communionem eo tempore factam illi obligationi satisfaciatur eo, vel maxime quod vnusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtuales & implicitam implendi omnem obligationem quam potest & debet, licet forte illam ignoret, Di-

*a Palud. in
4. dist. 9. q.
1. Soto. ibid.*

Dices. Quid si æger communicavit à
quindecim diebus, tenebiturnè iterum com-
municare?

*a In 4. dist. 3
art. 1. q. 2.*

R. Paludano (a) videtur quod non, quia
ille extendit communionem per modum
viatici, etiã vsq; ad quindecim dies. Idem
videtur sentire Zuares, qui istud tempus
extendit vsq; ad 17. vel 18 & consequenter
non tenebitur pastor illi ministrare: Sed sa-
ne non est tempus illud multum extendē-
dum, quia securius & fructuosius est com-
municare. Mihi itaq; videt, non teneri, si
4. 5. 6. vel 7. dies ante imminentem mortē
communicasset, sed si pluribus, dubiū mi-
hi esset simpliciter, nisi homo talis esset, q
singulis hebdomadib. communicare con-
sueuisset, & fere non confiteretur, nisi ve-
nialia, & pastor sciret illum forti animo ef-
se, & ad mortem obeundam bene disposi-
tum, neq; vlla exhortatione indigere, &c.
quia talis non esset in necessitate, aliàs in
dubio teneretur, vt in simili casu alibi dixi-
mus, quia illud est (b) tutius, & ideo
hoc casu, quo de salute agitur,
magis amplectendum

*b c. ad audi-
entiã, de ho-
micidio.*

):(

QVA

QVÆSTIO XI.

An etiam illis, qui viaticum sumpsferunt, sed paulo post in peccatum mortale lapsi sunt?

Quæstionis explicatio.

PEste infectis (vt aliquoties dixim⁹) non raro accidere solet, vt in impatientiam blasphemias & desperationem incidant, siue vi & magnitudine morbi, siue quod à suis parentibus, amicis, vicinis, omnique solatio humano sint destituti: Huius occasione quæritur, an pastor teneatur pluries dare communionem per modum viatici, an vero excusetur?

Responsio.

a Sor. dist. 12.

*q. 1. a. 11. Ar-
milla verbo
Communio.*

*nu. 11. Tabi-
ena verb. cõ-
municare, n.
56.*

b Zuar tom.

*3. de sacram.
disp. 69. se. 3.*

Quidam (a) existimant teneri pluries dare per modum viatici, idque toties, quoties quis reincidit in peccatum mortale, donec ex hac vita decesserit, sed nullum afferunt testimonium aut probabilem rationem, & ideo, qua facilitate hæc obligatio asseritur, eadem reiici potest: Aliis (b) probabilius multo videtur, pastorem non teneri pluries viaticum dare; quia talis obligatio neque ex sacra Scriptura, neque ex traditione & consuetudine Ecclesiæ, nec deniq;

denique ex institutione aut natura huius sacramenti colligi potest. Non ex institutione, quia hoc sacramentum non est institutum ad peccatum mortale tollendū, propter quam causam diximus superiore cap. preceptum confessionis obligare toties quoties mortaliter peccatur. Neque ex scriptura, traditione aut consuetudine & usu Ecclesie, quia nusquam leguntur, imo vero est contra morem Ecclesie: nam regulariter talia peccata sunt occulta; viaticū autē non nisi publicè accipi potest: quomodo ergo obligabit agrotus paulo post acceptum viaticū ad iterum petendum illud propter occultum peccatum, ex fragilitate aut vi morbi commissum.

Dices: Peccatum mortale videtur hanc obligationem inducere, quia priuat hominē effectū huius sacri: ergo ut illud recuperari possit, debet sacramentū repeti.

¶ Negando consequentiam: i. quia iuxta veriorē sententiā effectus ille recuperari potest per pœnitentiā: deinde, et si non recuperetur, non est simpliciter necessarius ad salutem; alioquin si hæc consequentia esset valida, etiam si homo intra eundē diem peccasset mortaliter post viatici suspensionem, & eodem die timeretur mors, deberet iterum communicare, imo sæpius e-

X odem

odem die, sicut sapius teneretur confite-
ri in eodem casu, quod simpliciter falsum
est, & contra vniuersalem Ecclesie consue-
tudinem.

Q V A E S T I O XII.

An etiam de peccato mortali suspectis?

Quaestionis explicatio.

*Glossa in ca.
Dixit Domi-
nus.*

PRO intellectu quaestionis, oportet cum
Canonistis distinguere triplicem suspi-
cionem temerariam, probabilem & violen-
tam. Temerariam vocant, quae nullo proba-
bili fundamento nititur, quae idcirco non
est rationabilis, sed potius iniusta: probabi-
lem, quando intercedit sufficiens ratio ad
generandum dubium, non vero ad iudican-
dum simpliciter de peccato alterius: Vio-
lentam, quae probabili ratione deponi non
potest. Hoc supposito quaeritur, an in casu
peccati & articuli mortis teneatur pastor mi-
nistrare hoc sacramentum de peccato mor-
tali suspectis, an vero excusetur?

Responsio.

IN primis tenetur pastor ministrare hoc
sacramentum, primo modo suspectis:
quia

quia nulla subest causa, cur negari debeat sacramentum illi, qui cum sit vir bonus, & pro tali merito reputatus, ius ad illud petendum & recipiendum habet.

Secundo, tenetur etiam ministrare probabiliter suspectis, quia pastor dubitat tantum, an forte peste infectus peccatum mortale habeat, & (a) *qui non probatur sufficienter malus, presumendus est bonus*: Ergo *presumpt.* cum vir bonus habeat ius ad sacramentum non debet propter praedictam suspicionem aut dubitationem illo priuari.

Tertio (b) tenetur quoque pastor in caso mortis ministrare sacramentum violenti suspectis, si peccatum negent, & aliqua exhibeant signa bonae dispositionis, tum *b. Zuar. tom. 3. de sacram. disp. 57. sect. 6.* propter periculum, quia fieri potest, quod saluarentur cum sacramento, qui sine illo damnarentur, si videlicet ad sacramentum sine dispositi, etiam per solam attritionem; tum quia illae circumstantiae videntur maximi ponderis, ad deponendam suspicionem in articulo mortis.

Hac doctrina videtur probabilis & pia etiam in praxi plectenda, quia in tali casu meo quidem iudicio nimis severus esset, nequid maius dicam, qui tunc negati credere nollet,

X 2 in illo

in illo siquidem articulo quilibet fidelis presumi debet salutis suæ memor, & dicere, & dicit, ut saluetur. Neque obstat communis doctrina Theologorum, quæ dicit, negandum hoc sacramentum violenter suspectis, quia intelligenda est extra articulum mortis, in quo positus duobus, quæ statim diximus, suspicio quamuis violenta, sufficienter eneruatur.

Dices: Sacramentum habet etiam suum ius, ut digne tractetur, sed fieri potest, ut cum datur probabiliter vel violenter suspectis, fiat iniuria sacramento: ergo non tenetur pastor dare sacramentum huiusmodi suspectis.

R. Quando sacramentum datur hominibus sic suspectis in articulo mortis, non fit contra hoc ius ex parte dantis, quia si forte huiusmodi suspecti illud indigne tractent cum hoc lateat, non potest danti imputari, & ideo non potest hac sola de causa illos priuare iure suo, de quo illi constat, non item de peccato illorum.

QVÆSTIO XIII.

An etiam illis, quos scit pastor per solam confessionem in peccato mortali versari?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Est ancilla, quæ secreto vivit in adulterio cum domino suo: Pastor audita cōfessione huiusmodi criminis noluit illam absolvere, quia pluries monita, noluit deserere occasionem propinquam peccati, hoc est adulterii: Modò peste correpta aduocat pastorem, & sibi deferri petit venerabile sacramentum. Quæritur an pastor excusetur, an verò teneatur illi deferre & dispensare?

Responsio.

QVia publice petit, tenetur ei deferre, & dispēsare. Est assertio omnium fere Theologorum, qui hanc quæstionē attigerunt, & colligitur ex variis (a) Conciliis, & locis (b) iuris Canonici. Illius rationes variae afferuntur: Potissima videtur; quia negare peccatoribus occultis publice Eucharistiam petentibus, esset illos infamare, quod est intrinsece malum. Confirmatur, quia pertinet ad commune bonum & con-

a Conc. Vas.
1. c. 8. Africā.
c. 99. & 100.
b c. Si autē,
c. Placuit, 6.
q. 2. c. Si Sa-
cerdos, de off.
Ordin.

326 DE NECES. ET MOD. MINIST.
uenientem Ecclesiæ, vel cuiuscunq; Reip.
gubernationem, vt communia bona, quæ
publice distribuenda sunt à publico mini-
stro, ad hoc munus à Republica vel Rei-
publicæ Principe destinato, dispensentur
iuxta merita singularum personarum, non
iuxta priuatam scientiam ipsius ministri,
sed publicam & notoriam: Huiusmodi
autem est dispensatio huius sacramenti,
ergo quando publice fit, non est regulan-
da per scientiam priuatam. Confirmatur,
quia nisi prædicta regula seruetur, possent
multa scandala & perturbationes exoriri;
siquidem possent ministri sacramenti in-
famari; quos vellent, & peccatum vel indi-
gnitatem fingere, vbi non esset, præsertim
tempore pestis, quo plerique omnes à mi-
nistracione sacramentorum excusari petût.
Et e contra possent fideles sæpe formidari,
ne à ministris huius sacramenti infamaren-
tur. Confirmatur 2. communi exemplo
de iudice, qui secundum probabiliorem
opinionem tenetur iudicare secundum al-
legata & probata saltem in ciuilibus etiam
contra priuatam scientiam ob similem ra-
tionem. Accedit, quod practice loquen-
do in articulo mortis potest præsumi, quod
in præsentia sacramenti ob instantem mor-
tem, mentem mutabunt & vere conterent.
Dices.

Dices primo. Fit iniuria Christo, tradendo illum indigne: ergo potius negare debet, etiam cum infamia occulti peccatoris.

R. Negando quod assumitur, quia non tradit illi, quem scit indignum scientia illa, videlicet, publica; alioquin si publice sciret indignum, tunc procul dubio iniuriam faceret Christo, & grauissime peccaret.

Dices secundo: Facit contra conscientiam, dando sacramentum indigno.

R. Non facere, quia dictamen conscientiae tunc non est regulandum per scientiam priuatam, quam habet, maxime per confessionem; sed per scientiam publicam sicut ante diximus.

Dices tercio. Saltem cooperatur peccato sic indigne accipientis.

R. Non cooperari proprie, sed potius permittere, quod iuste non potest impedire, defectu, vt diximus, scientiae publicae.

):(

X 4 QV E

QVÆSTIO XIV.

*An etiam publicis Vfurariis, Concubinariis
Meretricibus, in publico prostibulo
commorantibus?*

Questionis explicatio.

*a Maior in 4
di. 6. q. 2.*

Publici vſurarii, concubinarij, & meretrices in prostibulo habitantes, magis obnoxii sunt morbo contagioso quàm cæteri, vt annotauit (a) Maior: Vſurarii quidẽ quia ad ædes eorum vndecunque pauperes confluere solent, vestimenta & alia pingnora deposituri, vt aliquid pecuniæ sub vſura accipere possint. Notum est autem in vestimentis peste infectorum virus pestilentielle, vt frequentius, longissimo aliquãdo tempore latere, & per illa de domo in domos, oppida, prouincias & regna deferri: Meretrices vero & Concubinarij propter immoderatum coitum, quẽ constat contagioni causam præbere, vt alibi diximus. Horum occasione quæritur, an etiam iis peste infectis teneatur pastor ministrare hoc sacramentum, an vero excusetur?

Responsio.

Teneatur, si modo pro temporis oportunitate & necessitate confiteantur, vel

vel signa contritionis exhibeant, tūc enim temporis propter periculum & urgentem necessitatem non est circa illos maior diligentia adhibenda, vel pœnitentia exigenda quam commode exhiberi & haberi possit, præsertim cum illo articulo de quolibet fideli præsumendum, sit illum facere quicquid potest, ut se bene disponat ad sumendum hoc sacramentum. Deinde quia tales pœnitentes coram Deo sunt dispositi, & apud homines ad tollendum scandalum sufficit, quod publicetur, illos pro ratione temporis pœnitentiam egisse & ea præstitisse, quæ præsens necessitas & articulus mortis permisit, ut patet ex dictis.

Dices: Publici peccatores iure (a) Canonico præcipiuntur à communione repelli, & sancti Patres graviter arguunt illos sacerdotes, qui personas huiusmodi ad communionem admittunt: *Non parua* (inquit (b) Chrysostomus) *vobis imminet pœna* (aliquitur sacerdotes) *si quem aliqua impietate teneri scientes ei huius mensæ participationem permittatis; sanguis enim Christi de manibus vestris requiretur.* Eandem doctrinam inculcat sæpe (c) Cyprianus gravissime reprehendens eos qui peccatores post publicum lapsam ante publicam pœnitentiam & satisfactionem ad communionem admittunt.

a c. multi, 2.

q. 1. Conc. A-

relat. 1. c. 4.

5. Clem.

lib. 8. constit.

c. 32. c. Tua

nos, & ca.

Questum,

de cohab. cle-

& mulier.

b Homil. 83.

in Matth.

c epist. 10. 17.

& seqq.

R. In mortis articulo pastorem non debere nec posse maiorem satisfactionem & pœnitentiã exigere, quam pro ratione valetudinis, & temporis oportunitate ager præstare potest; & certum est Patres & iura, quæ exigunt publicam satisfactionem & alia non loqui de articulo mortis, vt aliquoties diximus. Secundo dico, pastorem posse & debere pœnitentiã & contritiõnem, quam peste infecti priuatim exhibuerunt, ipsis consentientibus vel requiruntibus publicare, & quantum honos sacramenti requirit, hominibus notam facere.

Q V Æ S T I O X V.

An etiam iis, qui frequentem nauseam & vomitum patiuntur, vel qui continuo singultiunt vel sternunt & tussunt, vel qui vix respirare possunt, vel quorum lingua ita intumuit, vt vix illam mouere queant, vel ita cruore est madida, vt continuo expuere cogantur, vel ita præ calore & siti aruit, vt nihil præter liquidum deglutire possint?

Quæstionis explicatio.

Pleriq; peste infecti multa eaq; grauissima symptomata patiuntur, & imprimis nauseam

nauseam & vomitum, de quibus ante mentionem fecimus ex Medicis, Historicis, & Poëtis: Horum & similium occasione queritur, an pastor teneatur Eucharistiam ministrare illis, qui huiusmodi affectibus laborant, an vero ab administratione excusetur?

Responsio.

EXcusatur, si probabile est, ægrum pas-
surum vomitum, antequam species sa-
cramentales consumpserit, vel non posse
species sacramentales dimittere in stoma-
chum propter nimium linguæ tumorem,
vel ariditatem, vel difficiliorem respiratio-
nem, vel nimis frequentem sternutatio-
nem, tussim, singultum, cruoris excreatio-
nem, vel aliam similem passionem, imo
vero administrando peccaret, quia huius-
modi vomitus est reuerentiæ tanto sacra-
mento debitæ maxime contrarius, & of-
ferre species sacramentales illi, qui qua-
cumque ex causa non potest illas degluti-
re, & in stomachum dimittere, est illis abu-
ti contra institutionem Christi, qui dicit;
accipite & manducate.

Matth. 26.

Dico, (*si probabile est*) ne pastores ex leui
aliquo timore se excusatos putent ab ad-
ministracione; oportet enim, (*sicut habet*
Cong.

a *Seff. 21. c. 2.* *Concil (a) Trident.* in sacramentorum administratione duo, quantum fieri potest coniungere & procurare sacramenti venerationem, & fidelium vtilitatem: quod ergo non ministretur quando probabiliter creditur, quod non possint diglutire, vel quod cum vomitu species reiicerent, hoc requirit veneratio debita sacramento; quod vero ministretur, quando tantum subest leuis & vanus timor, requirit vtilitas fidelium, si enim non sunt in gratia, & tantum sunt attriti, per susceptionem sacramenti fiunt contriti, & si sint in gratia, maiorem adhuc percipiunt per sacramentum, quam sine illo non reciperent.

Dices: Quid si vomitus non sit continuus, sed accidat per certa interualla, tenebiturne pastor interiecto tempore Eucharistiam ministrare?

R. Si probabile est vomitum non redire, nisi post diem vnum vel tantum temporis, quantum requiritur ad consumendas species sacramentales, puta tres, quatuor, quinque horas secundum *(b)* Nauarrum, & æger existimatur esse in periculo salutis, nisi ei sacramentum ministretur, debet illi ministrare, quia hic vtrumque coniungitur & veneratio sacramenti, quia species sacramentales sunt consumptæ, & sic desit esse

b *c. 25. n. 23.*

esse sacramentum, nec amplius timeri debet illius irreuerentia, & utilitas peste infecti.

Dices 2. Tenebunturne saltem pastores deferre talib. hoc sacramentum, si non ad sumendum, saltem ad deosculandum?

R. Quibusdam in locis in more positum fuit, vt non valentibus sacramentum sumere, illud nihilominus deferretur ad deosculandum; verum hoc tempore per interpretes Concilii Tridentini damnatum est & prohibitum; sic enim habent Illustriss.

Cardinales: *Non licet sacram hostiam agrotis deferre, qui grauitate morbi impediti sumere eam non possunt, sed venerationis gratia solent eam deosculari, & si forte aliquo in loco est talis consuetudo, ea prorsus est tollenda: quod idem prohibent nostratia parochialia, & speciatim (a) Mechliniense, & (b) Ruremunden.*

a pag. 56. n. 9. b pag. 80. §. meminerint.

Si aliquid obstiterit, quo minus possit infirmus sacram Eucharistiam accipere tuto, vt si timeatur vomitus, vel aliquod simile inconueniens, tantum adoret sacramentum, nec detur ei osculandum. Idem habet totidem fere verbis Ruremundense:

Nostrum vero (c) Leodiens. sic habet: *Præterea interroget parochus, num laboret stomacho, & pronus sit ad vomitum, & eo casu (ne*

sacramento fiat iniuria) tantum ei sacramentum adoraz-

c pag. 23. §. Tunc infirmum.

334 DE NECES. ET MOD. MINIST.
*adorandum proponatur spirituali communionis
contentus.*

Dices: Tenebuntur saltem deferre ad
adorandum? R. Hactenus sic vsu receptū
fuit per omnes prouincias Belgii, vt paro-
chialia iam allegata testantur, sed nouissi-
me dicitur Pius Quintus Pontifex illud
prohibuisse: Itaque si ita est, excusantur
pastores ab hac delatione sacramenti ad
pestiferos: Quid vero mouerit Pontificem
vt hanc delationem saltem ad adoran-
dum prohiberet, huc vsque intelligere non
potui, sicut nec Bullam videre, qua illam
prohibuit; fortasse hoc mouit, ne quo-
rundam error stabiliretur, qui dicunt, sa-
cramentum hoc tantæ efficaciam esse, vt
non tantum re ipsa sumptum, sed etiam
solo animi desiderio applicatum haberet
sacramentalem efficaciam, quod falsum
esse tenent communiter Doctores, quorū
ratio euidēs est, quia effectus proprius eu-
charistiæ prouenit ex opere operato sacra-
menti, non ex opere operantis.

Dices 3. Quid si forte peste infectus præ-
ter expectationem euomuit Eucharistiam,
quid faciet pastor de hostia humore pesti-
lentiali infecta?

R. Si species sacramentales integræ, vel
in aliqua particula haberi possint, si non
confu-

consumendæ, propter periculum contagionis, sane reuerenter asseruandæ sunt, quia sub eis manet Christus, ea vero quæ tales species contigerunt vel comburenda vel purificanda sunt, iuxta ea quæ habentur in regulis (a) Pii Quinti in Missali.

a §. Si sacerdos euomat.

QVÆSTIO XVI.

An etiam de peste suspectis?

Quæstionis explicatio.

Suspecti sunt de peste, vulgo, neque immerito, quotquot commorantur in ciuitate peste infecta, maxime si grassetur pestis & plurimi quotidie moriantur; probabiles enim sunt causæ, huiusmodi vel iam peste infectos esse, etiam si morbus non appareat, vel certe peste facile corripì posse: occasione huiusmodi quæritur, an & his pastores teneantur ministrare sacramentum Eucharistiæ?

Responsio.

Teneantur, si modo rite dispositi & preparati sint, quia pastores tenentur dispensare sacramenta, quoties subditi illa legitime & rationabiliter petunt. De peste autem suspecti rationabiliter illa petunt, ergo. Maior est (b) Adriani, & fere omnium Modernorum. Minor patet, quia

b *supra*

quia hi omnes sunt in periculo mortis, in quo omnes tenentur se munire sacramentis, ut ex antedictis notum est.

Dices: Poterunt etiam post meridiem & forte sumptum cibum ministrare suspectis, sicut & reliquis iam peste infectis?

R. Si pastor ingressus ædes peste infecti reperit famulos & famulas, & alios post cibum & potum sacramenta petentes, quod sibi à peste timeant, non solum potest, sed etiam tenetur illis ministrare, præferim pœnitentiæ & eucharistiæ, quia licet hoc sacramentum etiam non ieiunis in mortis periculo ministrare, illi autem, etsi adhuc sani, ut apparet, sunt, tamen in periculo mortis, cum pestis quotidie plerosq; omnes corripiat, & statim morti tradit, ut initio diximus.

Dices secundo: Licebit ergo passim in ciuitate peste infecta ministrare hoc sacramentum post meridiem & post sumptum cibum?

R. Quod post meridiem detur illis, qui non comederunt, non est difficultas, quia licet (a) consuetudine introductum sit propter maiorem reuerentiam sacramenti, ut celebrans debeat ante meridiem inchoare & absolueret missam, communicans tamen & non celebrans potest omni hora commu-

*a Gabr. lect.
14. in cano-
nem missæ.
Maior in 4.
dist. 13. q. 4.*

communione sumere: De aliis difficultas est, quæ prudenti pastoris iudicio pensanda est, potest enim talis esse aëris constitutio, ut omnes de ciuitate merito pro suspectis haberi possint, quibus consequenter alias rite dispositis, posset hoc sacramentum, etiam post sumptum cibum dari, ut colligere est ex illis, quæ initio huius tractatus diximus.

QVÆSTIO XVII.

An etiam sibi ipsis peste infectis?

Quæstionis explicatio.

CAlus est talis: Pastor concepit pestem, nec est iis viribus, ut possit sacrificare, neque est alius sacerdos qui possit aut velit viaticum illi ministrare, habet vero præconsecratas hostias, quas pro communione suorum subditorum reseruabat, tenebiturne sibi ipsi ministrare, an vero à perceptione viatici excusabitur?

Responsio.

SI existimet sibi necessarium viaticum, puta, quia absentibus aliis sacerdotibus non potest aliud sacramentum recipere, tenetur sibi ministrare, quia in tali casu teneretur alteri ministrare, ergo & sibi ipsi. Confirmatur, quia cum sit pastor, habet

Y ius

ius dispensandi hoc sacramentum, & ipse est in necessitate sumendi, neque est qui illi ministraret, poterit ergo, imo tenebitur sibi ministrare. Neque obest, quod extra sacrificium Missæ soleat sacerdos ex manibus alterius sacerdotis sacramentum hoc suscipere, quia hoc habet locum, cum alius est sacerdos, qui velit illud ministrare. Deinde, nec hoc omnino alienum est ^{ab} usu ecclesiæ, quia in die Parasceves sacerdos communicat seipsum, licet non sacrificet. Præterea, si quid obstare deberet, hoc esset reuerentia sacramenti; sed nulla fit irreuerentia, quia manibus ad hoc sacratis sumitur cum debita animi & corporis dispositione, ut supponimus.

Dices: Quid si adest Diaconus, qui paratus est illi ministrare, tenebitur manibus Diaconi, an propriis sacramentum sumere?

*a in 4. dist.
13. q. 4.*

℞. (a) Durandus existimat, quod potius propriis manibus deberet accipere. Ratio eius videtur esse, quam statim insinuauimus, quia pastor habet ius dispensandi hoc sacramentum ex officio, quod non habet Diaconus, nisi ex facultate superioris Episcopi vel pastoris.

Dices secundo: Quid si Diaconus sit in simili necessitate, & sint ad inanum hostiæ

præ

præconsecratæ, tenebiturne sibi vnam ex illis pro viatico sumere?

Re. Videtur quod sic, maximè accedente licentia Superioris, quia in illo casu teneretur alteri, ergo magis sibi ipsi, charitas enim incipit à se ipso, quod maxime in hoc casu verum est, dicit enim Ecclesiasticus: (a) *Miserere animæ tuæ placens a c. 39.*
Deo.

Dices tertio: Quid si Subdiaconus aut alius in minoribus ordinibus constitutus sit in eadem necessitate, & habeat hostias præconsecratas, tenebiturne etiam sumere?

Re. Quibusdam videntur teneri, ut (b) Caietano, Za, & Zuares, si loquantur consequenter; quia hi habent aliquid plus iuris ad contrectandum hoc sacramentum, quam laici, qui tamen secundum illos in tali necessitate possunt & tenentur aliis ministrare: Et confirmatur, quia si quid obstarat, hoc esset, vel quia institutioni ipsius sacramenti repugnaret, vel alicui præcepto diuino: Sed neutrum obstat: Non primum; nam sacramentum hoc institutum est per modum cibi: est autem naturale, ut quis suum cibum manibus propriis sumat: Non secundum,
Y 2 quia

quia non potest ostendi præceptum diuinum illud prohibens, ecclesiasticum autem non obligat cum tanto rigore, præsertim cum ius sibi subueniendi in tam graui necessitate sit maxime intrinsecum.

Q V Æ S T I O XVIII.

Quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

Absoluimus duas huius capituli partes, ostendimus enim qui teneantur vel non teneantur ministrare hoc sacramentum, & quibus teneantur, & quibus non. Sequitur tertia, qua examinandi sunt modi illud ministrandi, ut videamus qui illorum probandi sint vel improbandi, quod ut dilucidius fiat, duo præmittenda sunt: Primum, hoc esse singulare in hoc sacramento, quod etiam notauit Concilium (a) Trident. ut illud fieri & consecrari debeat antequam ministraretur: nam cætera omnia fiunt dum ministrantur: vnde consequitur, quod ad rem præsentem pertinet, plures tempore pestis circa ministracione huius sacramenti nasci difficultates quam aliorum, hic enim ex duplici capite nasci possunt.

a Sess. 13. de
Escharistia,
63.

possunt: primo ex consecratione, secundo ex administratione; in aliis vero, ex sola administratione, quæ in progressu fiet clariora. Alterum, hoc sacramentum, sicut est dignius duobus præcedentibus, ita est minus necessarium: secundum plerosq; enim non est necessarium necessitate mediæ simpliciter & absolute, sed tantum præcepti. Vnde consequitur (quod bene hic notandum est) in ministratioe huius sacramenti ordinariæ præferendam reuerentiam illi debitam, tali, quali necessitati priuatæ personæ: Quare non tenentur pastores ordinariæ ministrare hoc sacramentū, nisi commodè possint seruare conuenientem ritum ab ecclesia præscriptum, vt cōtra Maiorem bene notauit (a) Sotus, sicut contra in cæteris sacramentis, quæ sunt maioris necessitatis tenentur illa ministrare, etiam nullo ritu seruato, si hoc necessitas proximi postulet, vt in prioribus capitibus vidimus, & in sequentibus magis apparebit: His præmissis quæritur imprimis, quis sit optimus & maxime probandus modus ministrandi hoc sacramentum tempore pestis?

Responsio.

Ille videtur optimus, quo sacramentum hoc in certa materia & forma, quantum fieri possit, legitime consecratum, maiori

Y 3 cum

*a Sotus in 4.
dist. 12. q. 1.
art. 8. §. Ioann
nis Maioris.*

cum reuerentia, pro ratione temporis, spectata ægri valetudine & contagionis periculo, adhibitis ecclesiæ propriæ ceremoniis ministratur. Hæc responsio patet ex his, quæ superioribus capitibus, ad similem quæstionem respondimus.

Dices: Potestne hoc sacramentum sine ullis omnino ceremoniis tempore pestis ministrari?

R. Non potest, moraliter loquendo; neque enim videtur posse fingi casus, quo non debeat saltem adoratio huius sacramenti præmitti, tum per pastorem, tum per ægrum, si adhuc mentis sit compos; cum enim Christus ipse realiter & personaliter, etiam antequam ministraretur per præcedentem consecrationem panis, præsens sit, ut fides docet, si quis eum tractet manibus, oculis videat, ore sumat, sine vlla adoratione & reuerentia, graue sacrilegiû committit, ut rectissime D. (a) Augustinus dixerit: *neminem illam carnem manducare, qui non prius adorauerit.* Quamobrem videndum ministro huius sacramenti, ante omnia, ut omni cum reuerentia, etiam peste infectis hoc sacramentum ministraret, de quo plura deinceps.

a In Psal. 98.
ad illa verb.
Adorate scilicet
bellum peccatum
eius.

QVA

QVÆSTIO XIX.

Quid censendum sit de modo consecrandi & ministrandi illorum, qui non habentes hostiam seu formam panis consuetam ad consecrandum, consecrant in pane azymo, vel ex hordeo, vel ex siligine, vel ex spelta confecto, ut illam agro ministrant?

Quæstionis explicatio.

Plerisque in locis patriæ Leodien. panis vsualis ordinariè conficitur ex frumento, tritico, spelta, siligine, nonnunquam etiam ex hordeo, auena, & quibusdam aliis leguminibus; quid igitur si desit panis ex frumento vel tritico confectus, sit autem ex spelta, siligine vel leguminib. poteritne ex huiusmodi pane consecrare formulas egris ministrandas?

Responsio.

R. I. Probandus est modus illorum, qui consecrant & ministrant hoc sacramentum in pane confecto ex siligine, quicquid dicant (a) Richardus, (b) Aler (c) Paludanus, summa (d) Angli (e) Rosella, quia certum est, apud siliginem significare speciem frumenti, sicut & triticum, imo esse triticum, quamuis paulo minus pingue, eo quod crescat in Ardenna, Condrusio & terris magis sterilibus:

Y 4 quod

a *D. Thom.*
 3 p. q. 74. ar-
 tic. 4.

b *Caiet. in*
D. Thom.
 c *verb. Eu-*
charist. 1. n. 3.

d *Plin. lib. 25*
hist. nat. c. 8.

e *supr.*

f *in 4. dist.*
 11. art. 7.

g *ibid. art. 1.*

quod nobiscum sentiunt D. (a) Thomas, (b) Caietanus, (c) Syluester, nec alii dissentient, si sciissent, his in partibus siliginem significare triticum, quamuis nō ita perfectum, quia illa imperfectio accidentalis est, nec tritici substantiam mutat; quod nec ignorauit (d) Plinius, qui siliginem delicias tritici vocat.

R. 2. Modus conficiendi & ministrandi in pane ex hordeo incertus est, & idcirco simpliciter reprobandus, imo secundum D. (e) Thomam, Syluestrum & alios certum est non posse confici ex illo hoc sacramentum, quia, iuxta illos non est triticeus, sed specie ab illo differt, sicuti hordeum à tritico, quod bene in hac patria notandum est, quia in quibusdam eius partibus panis usualis ex hordeo confici solet.

R. 3. Modus conficiendi & ministrandi in pane ex auena omnino reprobandus est, quia satis certum est auenam neque triticum neque frumentum esse. Patet ex magna differentia, quæ apparet in exterioribus accidentibus & effectibus, colore, sapore, & aliis.

R. 4. Modus consecrandi & ministrandi in pane ex spelta confecto est dubius, quia spelta est materia dubia, siquidem Albertus (f) Magnus, Thom. (g) de Argentina, Petrus

Petrus (a) de Palude, (b) Caietanus, (c) Soto
 tus putant esse materiam sufficientem. Alii
 vero, vt D. Thomas (d) Richardus (e) Dionysius (f) Syluester (g) putant non esse sufficientem, vel saltem dubiam: non licet a. propter reuerentiam tanti sacramenti conficere in materia dubia: ergo simpliciter hic quoq; modus est dubius, & consequenter reprobandus.

Dices. Albertus Magnus rerum naturalium peritissimus, dicit speltam speciem esse frumenti, & secundum Sorum omnes Dictionarii affirmant, speltam speciem esse tritici, & ex eo fieri panem delicatum: D. Thomas etiam asserit in quibusdam regionibus ex spelta confici panem ad usum sacramenti, & vereor in vicinis locis Arduennæ & Condrusii, vbi fere ex solo pane speltaceo viuunt, hodie ex farina illius confici panes ad usum sacramenti. E. &c.

R. Propter huiusmodi argumenta iamdiu mihi persuasum fuisse, speltam nostratè qua quotidie in pane conficiendo ex cereuisia cocquenda vtimur, veram & certam esse materiam huius sacramenti: Verum reppius examinata, etsi existimem cum Alberto, Soto, & aliis superius allegatis, materiam esse sufficientem, fateor tamen esse incertam, & consequenter modum in ea ministrandi

a *dist. 11. q. 1.*
 b *3. p. d. 9. a. 3.*
 c *Ibid.*
 d *Ibidem.*
 e *In 4. dist. 11.*

strādi reprobari debere, præsertim si Summus Pontifex (vt dicitur alibi asserere Dionysius Carthusianus) definiuerit, speltam esse speciem hordei non tritici. Neque ualet, quod Sotus dicit, quæstionem hanc ad Curiam Romanam non pertinere, cum sit physica, quia ex hac quæstione Philosophica dependet decisio quæstionis Theologica, quæ certo ad Pontificem Maximum pertinet.

Dices secundo. Ex solone igitur pane ex frumenti siue tritici farina confecto, potest Eucharistia consecrari & ministrari?

a Supra cit. R. Ex eo solo, quod ita certo à plerisque (a) asseritur, vt nemo illud sine temeritate & erroris periculo negare possit.

Dices tertio. Quid si dubium sit, an granum sit frumētum seu triticum, poteritne saltem stante huiusmodi dubio in hoc casu, quo aliud haberi non potest, consecrari sub conditione?

R. Non poterit, sufficit enim materiam esse dubiam ad hoc vt in illa non possit consecrari & ministrari, quia, vt ante annotauimus, præferri debet reuerentiæ sacramenti tali, quali necessitati priuatæ personæ, quod ante nos sine vlla exceptione affirmavit (b) Alanus.

*b lib. 1. de eue
charist. c. 11.*

QVÆ-

QVÆSTIO XX.

Quid sit de illorum, qui consecrant tantum speciem panis?

Quæstionis explicatio.

Primo notandum est, ad sacrificium Missæ requiri vtriusque speciei, hoc est, panis & vini consecrationem: nam de essentia illius est expressa (a) repræsentatio mortis & passionis Christi, quæ intrinsicè requirit consecrationem vtriusque speciei, vt docent Bellarminus & Zuarez, & reliqui omnes post Diuum Thomam, quum dicit, repræsentationem Domine Passionis in consecratione peragi, ideoq; non posse corpus sine sanguine consecrari.

Secundo notandum, quod quamuis hoc ita sit, nihilominus si sacerdos quispiam per ignorantiam vel etiam malitiam consecraret tantum alteram speciem, vere consecraret; quod ex Scriptura & Concilio (b) Trident. certo colligi potest: Christus enim, antequam calicem consecraret, consecrans panem, dixit: *Hoc est corpus meum*: Christus autem verum dixit: Ergo iam illud erat corpus Christi, anteq̄ consecraret speciem vini. Probat hoc ipsum euiden-

a D. Thō. p.
3. q. 80. ar. 15.
ad 5. Bellar.
lib. 4. de eu-
char. Zuar.
in 3. D. Thō.
disp. 75. se. 7.

b Sess. 13. c. 3.
canon. 4.

euidenter vsus Ecclesiæ; statim enim a sacerdote in altari consecrauit panem, proponit populo corpus Christi adorandum sub speciebus panis, & post sumit vinum & consecrat, similiterque sanguinem Christi proponit adorandum sub speciebus vini. Horum occasione quæritur, quid si pastor vocetur ad communicandum peste infectum & propter instans mortis periculum non sit otium sacrificandi, sed ad manus habet formulas panis consecrandas, an poterit tantum speciem panis consecrare, & sic peste infecto ministrare?

Responsio.

Hic modus consecrandi & ministrandi est illicitus & reprobatus. Est sententia omnium fere Theologorum contra (a) Adrianum, (b) Alensem, & (c) Maioré. Probat, quia hoc modo non offert Deo perfectum & integrum sacrificium, quod sub speciebus panis & vini offerri debet secundum communem Doctorum. Confirmat ex verbis & factis Christi: Non enim sine causa in diuersis materiis & diuersis verbis consecrauit & obtulit, nec sine mysterio in consecrando calice addidit illa verba. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, indicans, per sui sanguinis effusio-

a q. 6. de Eucharistia.

b Apud Adrianum.

c dist. 9. q. 3. ad 5.

effusionem perfectam esse remissionem peccatorum, ad quem effectum applicandum instituit sacrificium, quod illam effusionem representet, per separatam corporis à sanguine consecrationem: post illud autem factum præcepit nobis, ut eodem modo offerremus, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem*: & ita Ecclesia semper intellexit & seruauit: est ergo utraq; consecratio simpliciter necessaria, ut hoc sacrificium constet.

Dices. In consecratione panis reperitur quicquid est de ratione sacrificii, quia per eam res prophana efficitur sacra, & diuino cultui dicatur, quod satis est ad rationem sacrificii, iuxta doctrinam (a) D. Thomæ. a 2.2. q.85. a.

ꝛ. In sola panis consecratione, aliquid 3. ad 3. sacrum fieri & factum manere, etiamsi consecratio vini non sequeretur, sed inde nihil sequitur, nisi inchoatum esse sacrificium, non vero essentialiter perfectum. Sicut iacto fundamento & erecto pariete aliquid factum manet, quamuis ædificatio non ulterius progrediatur, nemo tamen dicet, domum esse essentialiter factam, sed inchoatam tantum.

Dices 2. Æger in articulo mortis tenet iure diuino communicare, ut ante docuimus: ergo pastor tenetur illi communio-

nem

nem dispensare, & consequenter cum hoc casu non possit aliter, tenebitur hoc modo ministrare?

Re. Præceptum illud diuinum esse affirmatiuum, quod non obligat, nisi habita copia sacramenti. In casu autem proposito moraliter loquendo, non est copia sacramenti, præsertim, quia hoc præceptum per se obligat eum, qui suscepturus est hoc sacramentum, non vero obligat sacerdotem ad conficiendum, nisi hæc obligatio aliunde oriatur ex iustitia, vel ex charitate: Non obligatur autem minister ex vi harum virtutum ad mutandum debitum consecrandi modum, solum vt subueniat priuatæ personæ indigenti: imo neque licite sacerdos hoc potest facere, quia maioris est momenti integritas sacrificii & reuerentia sacramenti, quam est priuata utilitas vel necessitas vnius personæ, vt ante annotauimus.

Dices 3. Si post consecratâ hostiam immineret sacerdoti euidens periculum mortis, si in consecrando postea calice diutius in altari moraretur, posset sine culpa hostiam consumere & fugere, quia non est verisimile, hoc præceptum de consecranda vtraque specie obligare cum tanto discrimine: ergo saltem si quis comminetur sacerdoti mortem, nisi consecret speciem panis
ad com-

ad communicandum ægrotum absq; specie vini, quia vel vinum non reperitur, vel necessitas & periculum mortis virget, poterit sacerdos hoc facere sine peccato ad evitandum mortem?

R. Negando consequentiã, quia in hoc casu iam directe faceret contra præceptum diuinum; & quamuis metu mortis, tamen intenderet formaliter mutilum facere sacrificium, quod intrinsece malũ est, & contra præceptum negatiuum. In alio casu nõ item, sed solum est omissio alicuius præcepti, quod pro eo articulo censetur non obligare, vel etiam permissio, quod sacrificium inchoatum relinquatur, quæ non est intrinsece mala.

Dices 4. Quid si sacerdos voluit consecrare plures hostias sub sacrificio missæ, vt communicaret plures ægrotos, sed oblitus fuit, donec ad finem missæ peruenit, poteritne saltem finita missa antequam ab altari recedat, solas species panis consecrare?

R. Non poterit, quia præsupponitur sacrificium absolutum, & ita redit prior difficultas: consecrarentur enim formæ panis extra sacrificium, quod diximus esse illicitum.

Q V Æ

QVÆSTIO XXI.

*Quid sit de illorum, qui consecrant tantum
speciem vini?*

Quæstionis explicatio.

Casus est talis: Est peste infectus agnizans, qui nocte mittit ad pastorem pro habendo viatico: nunciatur vero pastori, agrum propter oris & linguæ siccitatem, nec non gutturis inflammationem vel tumorem, nihil posse omnino deglutire, præter liquidum: cum autem pastor non habeat otium celebrandi sacrum, tum quia nox est intempesta, tum quia æger morti proximus esse dicitur, ipse consecrat vinum, & ægro sumendum porrigit; quid de hoc modo conficiendi & ministrandi censendum est?

Responsio.

Hic modus reprobandus est sicut prior. Et probatur ex iam dictis, quia mutilum & imperfectum reddit sacrificiū, quod non potest non esse Deo, cui illud offertur, iniuriosum: unde & (a) D. Thom. vocat *immane sacrilegium*. Et Concil. Tolet. contra huiusmodi consecrantes, excommunicationis sententiam tulit.

a D. Thom.
3 p. 2. 64.

Dices

Dices. Potestne ergo species vini sine specie panis consecrari? Ratio dubitandi est, quia Christus non prius consecrauit calicem quam panem, consecratio ergo vini, presupponit consecrationem panis.

R. Ex hoc Christi exemplo & vsu Ecclesie colligi, hunc ordinem esse preceptum, ut recte notauit (a) Zuarez, quod etiam rebus ipsis consentaneum est, quia cibo certo ordine antecedit potum: non est tamen hic ordo essentialis. Quocirca si sacerdos ex malitia prius consecraret vinum quam panem, vel solum vinum, sine dubio consecraret, quia vnius speciei consecratio non pendet ex altera; ergo minus pendet essentialiter ex ordine, quamuis graue esset sacrilegium; ut iam dictum est.

Dices. Incurritne censuram aliquam vel penam, qui consecrat tantum alteram speciem, seu panis seu vini?

R. Secundum (b) Maiolum, praeter excommunicationem, de qua ante, incurrere irregularitatem, quia, inquit, cum aperte abutatur potestate sacerdotali, indignus videtur potestate illi competenti; sicut secundum (c) Antonium incurrit irregularitatem sacerdos ille, qui prohibitus dicere missam, sine illa conficit corpus Christi. Sed non satis solide hoc asseritur, cum nulla sit agnoscenda

Z irregularitatem

a Zuar. in 3.
part. D. Tho.
disp 75. sect.
6. §. Sed quaerit aliquis.

b Lib. 3. de ir.
reg. c. 26. n. 5.

c Tractas. de
conf. §. irreg.
c. 87. v. Terti-
tio nota, c. 1.
de cler. excō.

irregularitas, nisi iure exprimatur. Neque simile est, quod ex Anthonino adiungitur, qui enim suspensus est à celebrando, hoc ipso suspensus est à consecrando, ac proinde, si consecret, irregularitatem incurrit, usurpando actum à quo suspensus est. At in priore casu non supponitur suspensus, sed solum potestate sacerdotali abusus: nõ autem propter solum abusum potestatis irregularitas incurritur, nisi iure exprimatur.

QVÆSTIO XXII.

*Quid sit de illorum, qui consecrant in Missa vtramq³ speciem, sed ministrant e-
gro tantum speciem
vini?*

Quæstionis explicatio.

ECclesia grauiſſimis ex causis adducta, vsum calicis in administratione huius sacramenti omnibus inhi- bit, præterquã sacerdotibus sacrificatibus, vt patet ex Cõciliis, (a) Constantiensi & (b) Tridentino, quod aperte dicit, Ecclesiam decreuisse, consuetudinem communicandi sub specie panis pro lege habendam: Nihilominus accidit saepe tempore pestis, vt veniat viaticum dandũ illis

a Sess. 13.

b Sess. 21. c. 2.

illis, qui non possunt sumere speciem panis, vt statim dictum est. Idcirco quaritur, quid dicendū de hoc modo, si pastor consecret quidem vtramq; speciem, sed ministrat tantum sub specie vini?

Responsio.

Eodem modo reprobandus est, quo duo superiores, non tamen ex iisdem causis, quia hic ponimus pastorem integrum sacrificium conficere, sed illa maxime ratione, quia pro hoc tempore est contra vniuersalem Ecclesiæ Consuetudinem. Quocirca non posset sacramētum sic ministrari sine plurimorum scandalo & irreuerentia sacramenti, præsertim quod peste infectis à mente sæpe alienatis, non possit species vini eorum ori infundi sine periculo effusionis, vel similis irreuerentiæ.

Dices primo. Decretum olim fuit, atq; adeo vsu receptum in ecclesia, vt sola species vini daretur iis ægrotis, qui non possent specie panis deglutire, vt habemus ex Conciliis (a) Carthaginensi & (b) Toletano.

a Conc. Car.

4. can. 76.

b Conc. Tol.

11. can. 11.

Hunc morem iam diu obsoletum esse, & in desuetudinem abiisse propter irreuerentiam, quæ in eo frequentius, etiam à pijs fidelibus, huic sacramento inferebatur.

Z z

Dices,

Dices secundò. Ius diuinum de sumendo in articulo mortis sacramento, videtur præferendum ecclesiastico de illo sumendo tantum sub specie panis, & non vini.

R. Inprimis hunc casum, moraliter loquendo, vt nunc loquimur, vix esse possibilem, quia qui potest traicere species vini, potest etiam paruam saltem hostiæ consecratæ particulam.

Deinde, vt admittatur ille casus rarissimus, propter illum solum non oportet statim concedere hanc licentiam, quia alias daretur indiscretis ministris occasio ampliandi illam, & immutandi ritus & vsus Ecclesiæ, quod magnam in Ecclesia parere posset confusionem. Vnde parochus tunc nolens dare sacramentum iure excusabitur, quia propter bonum publicum & reuerentiam sacramenti id facit, & consequenter excusabitur peste infectus, vel quia non habet copiã sacramenti, vel quia moraliter censetur impotens, & ita non violabitur ius diuinũ, quod cum affirmatiuum sit, non obligat ad semper, vt loquuntur Theologi, sed occurrentibus moralibus circumstantiis.

Nec tunc etiam ius humanum præferatur diuino, sed occasione iuris humani tales oc-

les occurrunt circumstantiæ morales, vt
ius diuinum affirmatiuū tunc desinat obli-
gare, quod frequens est in huiusmodi præ-
ceptis.

Dices tertio. Si superuenientibus hære-
ticis sacerdos in altari existens sumpsisset
speciem panis, & antequam sumpsisset spe-
ciem vini, cogeretur sub periculo mortis fu-
gere, timeretur quoque, ne calix ab illis
per terram funderetur & indigne tractaretur,
laicus præsens aliàs bene dispositus,
teneretur illum calicem sumere, quidquid
dicat (a) Sotus: ergo & in nostro casu Sa-
cerdos non solum potest, sed debet ægro in
illa necessitate constituto hoc sacramentum
sub specie vini porrigere.

& Negando consequentiam, quia tunc
longe est maior necessitas conseruandi ab
irreuerentia sacramentum, quàm
communicandi æ-
grum.

Z 3 QVÆ

Quid sit de illorum, qui, ut ministrent peste infectis, consecrant utramq; speciem, sed alteram in pans fermentato?

Quæstionis explicatio.

CERTUM est de fide, tam panem azymum, quàm fermentatum sufficere ad substantiam huius sacramenti: unde erroneū est, dicere, alterutrum panem esse necessarium necessitate sacramenti in Ecclesia Græca vel Latina, sicuti quidam (a) Doctores iuris canonici voluerunt: neque enim sacramenta habent alias essentias in vna parte Ecclesiæ quàm in alia; neq; consuetudo aut præceptum Ecclesiæ potest immutare vel limitare essentias sacramentorum.

a Innoc. cum aliis in c. 1. de Bapt. & Fel. in c. Quæ in Ecclesiarum deconst. n. 20.

b Epistol. ad Michaelem Patriar. Cōstantinopol.

Certum quoque est, licere Græcis in fermentato, sicut & Latinis in azymo conficere & ministrare, ut docet (b) Leo Nonus, qui, Latinorum consuetudinem defendens, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem & prudentiam, ut cum tam extra, quam intra illam multe sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna sua traditione perturbari, sed potius eam seruare moueat & studeat.

Certum

Certum quoque est, tam Latinos quam Græcos teneri ad seruandum Ecclesiæ suæ ritum: Vnde (a) Iure Canonico punitur quidam Latinus sacerdos, quod in fermentato consecrasset, nihilominus sepe accidit, & præsertim tempore pestis, vt ruri non sit panis azymus, sunt tamē peste infecti, quibus viaticum ministrari debet: Quæritur, quid censendum sit de hoc modo conficiendi & ministrandi, si sacerdos in fermentato consecret propter necessitatem?

a c. literas de
celeb. Missar.

Responsio.

NEque hic modus licitus est, sed reprobatus. Est omnium fere Doctorū, excepto (b) Maiore, quantum notare potui, qui nimis largam dat sacerdotibus in huiusmodi casu facultatem consecrandi frustum panis fermentati, etiam se reposito & sine vestibulis sacris: hæc enim omnia sunt erronea, vt statim videbimus, quia quisque tenetur ritus & consuetudines suæ Ecclesiæ seruare, præsertim in huius sacramenti ministratio-
ne, vt ante diximus.

b In 4. dist. 9
q. 3. ad 3.

Dices. Præceptum de sumendo viatico in articulo mortis est diuinum: præceptum v. de sumendo vel ministrando illo in pane azymo est humanū: E. posterius priori cedere debet.

360 DE NECES. ET MOD. MINIST.
debet, in articulo saltem, quo azymus ha-
beri non poterit. Hoc argumento motus
fuit Maior, vt diceret, *forte pastorem posse hoc
casu secreto panem fermentatum consecrare*. No-
ta q̄ dicit, *forte*, etsi n. videtur illo argumē-
to non nihil fuisse motus, non tamen om-
nino persuasus fuit.

℞. Igitur prius præceptum esse affirma-
tium, quod de sui ratione non obligat ad
semper, hoc est, pro omni tempore, sed
quando commode & cum debitis circum-
stantiis fieri potest, & ideo posito alio præ-
cepto humano, præscribente debitum cō-
ficiendi modum, cessare debet obligatio
alterius præcepti pro aliquo temporis arti-
culo, pro quo modus ille non potest obser-
uari, quia (quod sæpe repetendum est) ex-
pedit maxime in hoc sacramento confici-
endo & ministrando, summam reuerenti-
am adferre.

QVÆSTIO XXIV.

*Quid sit de illorum, qui celebrant non ieiuni,
vt agro sacramentum ministra-
re possint?*

Quæstionis explicatio.

A Temporibus Apostolorum seruata
est in Ecclesia Consuetudo, non su-
mendi

mendi aliquem cibum vel potum cum sumendum esset sacramentum Eucharistiæ, ut patet ex antiquissimis Patribus (a) Epiphanio, (b) Nazianzeno, (c) Chrysofomo, & D. (d) Augustino, qui de hac re sic ait: Placuit Spiritui sancto per Apostolos, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Idem constat ex antiquissimis Conciliis (e) Carthaginensi, (f) Africano, (g) Matisconensi, ubi adiunguntur pœnæ in eos, qui hunc ritum non seruant: Nihilominus sæpe casus occurrit, ut sacerdos etiam sumpto cibo rogetur sacrificare, aut alias debeat populum hinc hoc sacramento deserere: Quocirca quæritur quid censendum sit de modo consecrandi & ministrandi illorum, qui vocati ad peste infectum in extremis agentem missam celebrant, cum non sint ieiunati, ut ad ægrum sacramentum deferant?

Responsio.

NEque hic tolerari debet. Ita plerique (h) Doctores celsent, quicquid (i) Maior dicat. Rationes illorum sunt: quia consuetudo ecclesiæ vniuersalis ita interpretatur præceptum de seruando ieiunio ante communionem, respectu sacerdotum contici-

Z 5 entium

a lib. 3. contra
hereses in fi.

b Grat. 4. de
baptismo.

c Homil. 27.

d Epist. 118.

e Conc. Car-

thag. 3. c. 29.

f c. 8.

g 11. c. 6.

h Pal. di. 8. q.

2. n. 9. Gab. q.

2. art. 5. Viñ.

in sum. n. 23.

Navar. c. 21.

num. 5.

i in 4. dist. 9.

q. 3 §. Quinto

arguitur.

entium & ministrantium hoc sacramentum. Deinde hoc præceptum, non est minus graue quam alia pertinentia ad ritum seruandum in hoc sacramento conficiendo, vt sunt præceptum consecrandi in azymo, aut cum vestibus sacris, de quibus statim post dicemus: Hæc autem & similia prætermittenda non sunt propter communicandum ægrotum. Postremo hoc sacramentum (a) inter cætera, sicut est maioris dignitatis, ita est minoris necessitatis; ergo in simili euentu maior est habenda ratio reuerentiæ huic sacramento debitæ, quam qualiscumq; necessitatis proximi. Et confirmatur, quia necessitas quæ hic interuenit, non vrget, neque ex parte sumentis, quia nõ est in potestate eius sumere, nisi sit qui possit dare: Neq; etiam ex parte dantis, quia solum tenetur dare, quando commode potest cum debita exteriori reuerentia, & seruato conueniente ritu ab ecclesia præscripto.

Dices: Si hæ rationes solidæ sunt; ergo nec licebit ægrotis post cibum & potum dare Eucharistiam, quia neque respectu illorum sacramentum hoc est necessitatis, & maior est habenda ratio reuerentiæ sacramenti.

R. Ecclesiasticam consuetudinem declarasse

*a Sotus in 4.
dist. 12. q. 1.
art. 3. §. Ioan
nis Maioris.*

clarasse in eo casu non obligare præceptum ieiunii, & hoc satis est. Deinde non est eadẽ ratio; quia propria necessitas hominis communicatur est necessitas intrinseca, & quæ moraliter sæpe accidit, & ideo non oportuit nec decuit vt tunc impediatur homo à susceptione sacramenti propter humanum impedimentum quod vitare non potest: At necessitas ex parte ministri est valde extrinseca & accidentaria, quæ moraliter rarissime potest accidere, supposita prouidentia, quam ecclesia habet, seruandi Eucharistiam pro infirmis, & ideo non fuit expediens, vt propter similem necessitatem daretur occasio violandi hoc præceptum, vel male illud interpretandi.

Dices secundo: *Qua propter charitatem introducta sunt, non debent contra charitatem militare*, vt præclare dixit D. (a) Bernardus: Sed charitas obligat ad subueniendum proximo in necessitate, ergo non est verisimile ecclesiastico præcepto impediri, ne id fiat. Confirmatur, quia propter similem proximi necessitatem potest sacerdos conficere sine confessione prauia, quãdo non habet ad manum confessorem: ergo multo magis poterit conficere non seruato ieiunio. Antecedens passim ab omnibus conceditur. Consequentia probatur, quia obliga-

a lib. de præcepto & dispens. pens. c. 4.

364 DE NECES. ET MOD. MINIST,
tio præmittendi confessionem oritur ex iu-
re diuino, hæc vero de præmittendo ieiunio
ex iure (a) humano.

a de consecr.
dist. 2. can. li-
quido.

R. Ad Bernardum quidem, nihil hic mi-
litare contra charitatem, sed potius illam,
sicut & reuerentiam sacramenti promoue-
re, quæ proculdubio sensum concideret, si
cuilibet cæremonias sacras, quibus hono-
rari solet in ecclesia, tollere permetteretur.
Ad confirmationem dico, maximam esse
differetiam inter duo illa præcepta. Primo,
quia necessitas conficiendi sacramentum
absque confessione præmissa est moralis &
quæ sæpe accidit; necessitas autem confici-
endi post cibum est rara, leges autem mo-
rales traduntur iuxta ea quæ frequentius
accidunt. Secundo, quia confessio non
propter se præcipitur, sed vt medium ad iu-
stificationem, quæ est dispositio per se ne-
cessaria ad hoc sacramentum; deficiente au-
tem illo medio, potest aliud applicari, quo
eadem dispositio obtineatur, scilicet, con-
tritio, & ideo potest illud præceptum sapius
non obligare, quia scilicet. si desit confessio
non necessario deest gratia, quæ est dispo-
sitisio per se intenta: At vero in presenti casu
tollitur ieiunium, quod est exterior dispo-
sitisio per se intenta per præceptum. Et licet
interior dispositio per se sit maior; tamen
quoad

quoad homines exterior reuerentia solet esse valde necessaria, & ideo ne hoc sacramentum indigne tractetur, aut tanquam vulgaris cibus conficiatur & distribuatur, voluit ecclesia, vt hæc præcepta de exteriori ritu, quoad fieri moraliter possit, inuiolabiliter seruentur.

Dices 3. Licet saltem ex dispensatione Episcopi?

ꝛ. Palacius (a) putat Episcopum in hoc posse dispensare: probabilius est contrariū, quia est præceptum vniuersale totius ecclesie, & nulla autoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo, *per se autem (b) non potest inferior in lege Superioris dispensare.*

a In 4. dist. 9.

b c. Inferioris dist. 21.

Q V Æ S T I O XXV.

Quid sit de illorum, qui à longe positi consecrant formulam panis, quam ager manibus tenet?

Quæstionis explicatio.

CAsus est talis: Vocatur pastor ad peste infectum pro viatico: Ille dicit se non posse consecrare, quia non habet formulas panis, nec posse propter nimiam distantiam vendentium facile comparare:

parare: Ager renunciat se habere vnam, quam petit consecrari: pastor propter periculum contagionis à longe positus consecrat illam in manibus egri existentem, queritur an hic modus agendi aliquo modo probari possit?

Responsio.

NEque hic probari aut tolerari potest, peccat enim multipliciter. Primo, quia sacerdos cōsecrat extra missam, quod ante ostendimus esse graue sacrilegium. Secundo, quia sic consecrando exponit se periculo nihil faciendi, non enim certum est posse consecrare panem, qui ab alto tenetur manibus, maxime si ille viginti, triginta, aut quadraginta passus distet. Neque enim desunt, qui putent necessarium esse ad consecrationem, vt sacerdos ipse teneat manibus panem, quem vult consecrare, quia ita videtur Christus fecisse: Et qui dicant (inter quos est (a) Paludanus) materiam ita propinquam debere esse sacerdoti, vt ab eo facile tangi possit, vel vt verba formæ peruenire possint ad materiam, & illam contingere, vt dicit (b) Viguerius: vel solum Christum scire, qui hoc sacramentum instituit, quanta propinquitas materiæ requiratur, ad hoc, vt sacerdos super illam

verba

a in 4. dist. 11

q. 1. art. 3.

*b in instruc.
de sacr. Eu-
char.*

verba sacramentalia proferre possit, ut a-
iunt (a) Durandus, (b) Paludanus & alii.

a in 4. dis. 11.

q. 6. n. 5.

b dist. 11. q. 2.

art. 3.

Dices: Ex usu ecclesie etiam consecran-
tur formula reclusa in pixide, quae non vi-
dentur: ergo poterit consecrari hostia, quae
in manibus alterius videtur.

R. Non multum ad rem facere, quod
hostia videatur vel non videatur, quia cer-
tum est apud omnes sacerdotem caecum
posse, si habeat panem praesentem, conse-
crare; sed difficultas est, an formula sit satis
praesens ad illam consecrandam, siquidem
pronomen (*hoc*) in forma consecrationis
requirit moralem praesentiam secundum
omnes, sed qualis & quanta esse debeat,
non definiunt.

Q V A E S T I O XXVI.

*Quid de illorum, qui sine vestibus sacris, hoc
est, superpelliceo & stola mi-
nistrant?*

Quaestiones explicatio.

Plerique peste infecti, etiam Catholici,
petunt secreto sibi afferri sacramen-
tum sine superpelliceo & stola, tum ne a
magistratu, si hac solemnitate, morb⁹ pro-
paleatur, in domo recludantur, vel ciuitate
excedere iubeantur, tum ne a vicinis & a-
micis, quorum ope egent, contra cha-
ritatem

ritatem Christianam deserantur: Pastor minister secreto in vestitu communi defert sacramentum & ministrat; Quæritur, an hic modus agendi licitus sit & probandus?

Responsio.

Nequè ille modus ministrandi ordinariè ferendus est. Primo, quia repugnat sacris (a) Canonibus & Pontificum Decretis, nec non dictamini rectæ rationis, quod vult ut actiones sacræ non nisi in vestibus sacris, & ad eas specialiter deputatis fiant, scilicet, ut ipso exteriori vestium apparatu indicetur, actiones illas non esse communes & vulgares, sed sacras: Nam & Gentiles solo lumine naturali ducti, sicut suo modo habuerunt templâ, sacrificia & sacramenta; ita etiam ad actiones suas sacras, vestes peculiâres, & suo modo sacras adhibuerunt, quod scite expressit (b) Virgilius, cum dixit:

Puraq; in veste sacerdos.

Dixi, (ordinariè) quia ubi per aspera & periculosa loca Eucharistia deportanda est (quod ruri satis frequens est) ad periculositatem ab usu stolæ & superpellicei sacerdos, sicut & custos à pulsu tintinnabuli & luminis gestatione, abstinere poterunt, dummodo parochus in munda pi-

a c. Vestimē-
ta, de conse-
d. st. i. Conc.
Tribut. in
Bucardō lib.
6. c. presby-
teri.

b lib. 12. Æ-
neid.

xide & sacco nitido sanctam Eucharistiam deportet, vt parochiale diocesis (a) ^{a Paroch.} Leodien. & (b) vicinarum pastoribus omnibus, etiam extra casum pestis, concedunt. ^{Leo pag. 119.} ^{b Ruremūd.} ^{pag. 24.}

Dices; Quale peccatum est sine necessitate ministrare hoc sacramentum sine huiusmodi vestibus sacris?

R. Est suo genere mortale, quia est contra virtutem religionis, & proinde sacrilegium, quod suo genere mortale est. Neque facile est illud excusare à mortali propter paruitatem materiæ, quia videtur grauis, vt pote quæ est vniuersalissima vsitatissimaque ecclesiæ cæremonia, vt patet ex antiquis ecclesiæ Patribus: Neque propter inaduertentiam aut quid simile, quia vix fingi potest inaduertentia, & in præsentî casu præsupponitur petitio omissionis huius cæremonia, & super illam deliberatio & responsio pastoris.

*c.c. Ecclesia, dist. 23. c. bi
Ioannes de
Turrecrem.
Et de Graf-
fis. decis. lib.
2. c. 49.*

QVÆSTIO XXVII.

Quid sit de illorum, qui vocati eodem tempore ad plures agrotos, nec habentes nisi vnâ hostiâ, illam particulatim diuidunt & singulis etiam exiguam particulam dispensant?

Quæstionis explicatio.

Casus est talis: Sunt octo vel plures peste infecti: hi omnes pastorem aduocant

Aa cant

cant pro sumendo viatico, qui non habet nisi vnam hostiam, quam partitur in octo particulas valde exiguas, quarum singulas singulis ægris distribuit; quid de hoc modo ministrandi dicendum?

Responsio.

TOlerari posse videtur vt hostia in duas, tres; quatuor partes diuidatur, quod vero in plures moraliter loquendo non videtur posse tolerari: Prior assertionis pars probatur, quia hoc pacto consulitur vtilitati fidelium, neque vlla fit iniuria sacramento. Primum patet, quia omnes etiam sub minutis illis particulis integrum & perfectum viaticum sumunt, sub singulis enim particulis, quantumuis exiguis totus & integer Christus continetur, vt constat ex communi doctrina (a) Theologorum, auctoritate (b) Conciliorum & Patrum ecclesiæ, vsque adeo vt contrarium asserere sit hæreticum. Alterum quoque patet, quia diuisio vel partitio hostiæ per se nullam irrogat sacramento irreuerentiam; Videmus enim quotidie in sacrificio missæ hostiam in tres partes diuidi, & in paschate quando populus pro communionem sæpe maiori numero quam pastores expectent, confluit, videmus illos, etiam doctissimos & piissimos

a In 4. dis. 10.
et apud D.
Thom. 3. p.
q. 76.

b Conc. Tri-
den. sess. 13. c. 3

plurimos hostias diuidere, vt deuotioni
 populi, qui illo die vult satisfacere præce-
 pto de communione paschali, sese accom-
 modent: ergo magis id poterunt in tali ar-
 ticulo, vt populus satisfaciatur præcepto di-
 uino. Altera probatur, quia diuidendo ho-
 stiam non ita magnam in octo vel plures
 partes, deueniri posset ad tam exiguas, vt
 moraliter loquendo, contrectari non pos-
 sent, nec distribui sine scandalo & irre-
 uerentia sacramenti, Nihilominus tamen
 si de facto ita diuideretur, & particulae
 quantumuis exiguae distribuerentur, per-
 sonae, quae illas sumerent, dicendae essent
 sumpsisse viaticum etiam integrum: In
 quo grauitur impegit (a) Maior, cum dixit
 posse ab hostia separari tam exiguam particulam
 specierum, vt sub illa non posset conseruari cor-
 pus Christi, vt v. g. si sit tam parua, vt nullo sen-
 su percipi possit. Sed hæc sententia est hære-
 tica & falsa, vt bene notauit (b) Scotus:
 Nam cum secundum communem & fi-
 dem totus panis conuertatur in corpus
 Christi, nulla potest esse particula, vbi non
 sit corpus, alias essent particulae non solum
 vacuae pane, sed etiam corpore Christi,
 quod notorie absurdum est & hæreti-
 cum.

Dices: Frustra ibi esset corpus; fortasse

Aa a ideo

*a In 4. dist.
 11. q. 3.*

*b In 4. dist.
 art. 3.*

ideo motus fuit Maior vt diceret, non esse ibi corpus Christi, quia particula illa tam exigua non possent à ministris distribui & dispensari.

R. Non frustra ibi esse; potest enim à ministro sumi, & frequenter contingit huiusmodi etiam minores particulas ab hostia excidere, quando in altari super patenam frangitur, &c. Sed (vt diximus) canere debet pastor, ne cuiusquam importunitate ad huiusmodi diuisionem deueniat, vt particulas diuisas non possit reuerenter vel ipse sumere, vel aliis ministrare.

Q V Æ S T I O XXVIII.

Quid sit de illorum, qui non habentes nisi vnam hostiam quam consecrant, sumunt vnam partem in sacrificio, & alteram reseruant agro pro viatico.

Quaestionis explicatio.

CAsus est talis. Pastor post consecrationem panis & vini vocatur è missa ad peste infectum pro viatico: Ille existimat & recte, se non debere in eodem sacrificio bis consecrare panem, quapropter partem hostiae consecratae reseruat deferendam ad agrotum pro viatico, & in altera perficit sacrificium: quid de hoc modo censendum est?

Responsio.

Responsio.

Videtur quoque tolerari posse. Ita (a) Paludanus: Probatur primo, quia pastor hoc modo satisfacit subdito, neque ullam iniuriam irrogat sacramento. Secundo exemplo D. (b) Basilii, qui dicitur diuisisse panem sacram in tres partes, vnam sumpsisse, alteram inposuisse columnæ aureæ super altare, & postea moriturus tertiam partem accepisse, & Deo spiritum reddidisse. Postremo, quia videtur aliquando talis viguisse in ecclesia consuetudo, nam vt notat Paludanus, cum olim seruaretur tertia pars hostiæ vsque ad finem missæ, videtur seruata fuisse ad communicandum alios.

Dices: Gelasius (c) Papa scribens Maiorico & Ioanni Episcopis, arguit quosdam, qui in sacrificio integra sacramenta non sumebant, & mandat vt vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur: ergo non debet hic modus dispensandi tolerari.

R. Pontificem ibi arguere quosdam, & merito, qui in sacrificio alteram tantum partem, videlicet corporis Christi accipiebant, & ab altera, videlicet cruoris sacri, abstinebant, qui longe diuersi sunt ab illis, qui vtramque partem sub vtraque specie sumunt, sed vnam particulam alterius spe-

Aa .3 .cici

a in 4 dist. 12
q. 1. artic. 5.
concl. 2.

b apud Am-
philoch. in
vita.

c de consecr.
dist. 2. c. com-
perimus.

374 DE NECES. ET MOD. MINIST.
cici pro ægro referuant, vt ex antedictis fa-
cile colligi potest.

QVÆSTIO XXIX.

*Quid sit de illorum qui non habentes hostiam
consecratam, porrigunt non con-
secratam?*

Quæstionis explicatio.

SECUNDUM communem Theologorum
multipliciter potest manducari corpus
Christi; subinde enim manducatur spiri-
tualiter tantum vel sacramentaliter tan-
tum, vel sacramentaliter & spiritualiter si-
mul, quæ vt nota præsupponimus. Eue-
nit casus, pastorem non habere hostiam
consecratam, rogari nihilominus vt ipse
sacramentale viaticum peste correpto de-
ferat, ipse, vt vitet scandalum, existimat se
posse deferre hostiam non consecratam, &
ægrum, si non sumat sacramentale viati-
cum, recepturum saltem per fidem & de-
uotionem spirituale, & sic illi hostiam non
consecratam ministrat; quæritur quid cen-
sendum de hoc modo ministrandi?

Responsio.

q. dist. 13.

EST reprobatus, neque vlllo modo to-
lerandus. Ita omnes (a) Theologi in Ma-
gistrum

gistrum sententiarum excepto vno Altifio-
dorensi, qui præsentem casum definiens
dicit: Si contingat hominem in articulo mortis,
indigere viatico, & nullam esse reseruatam ho-
stiam consecratam ex negligentia parochi, tunc
ad euitandum scandalum licere dare hostiam non
consecratam pro consecrata. Probatur com-
munis sententia, quia hoc modo mini-
strans secundum (b) Innocentium, non so-
lum Deo illudit, sed etiam populo se astringit.
Confirmatur, quia ex mente omnium hic
modus agendi dat manifestam occasionem
idololatriæ; nemo enim (vt ante ex D. (c) Au-
gustino diximus) communicat, nisi prius ado-
ret, imo ipsa susceptio sacramenti est qui-
dam religionis cultus. Nec refert quod sit
materialis idololatria præter conscientiam
& intentionem adorantis, quia etiam est
per se malum, vt aliquis sciens & prudens
proponat alteri adorandam creaturam
cultu diuino, & mentiatur esse Deum, qui
reuera non est, est enim mendacium per-
niciosum & Deo valde iniuriosum. Ne-
que obstat, quod (d) quidam putarunt pos-
se hunc modum ministrandi tolerari, si æ-
ger dissimulet & sciat sibi tradi hostiã non
consecratam, eo quod tunc poterit peccatum
idololatriæ vitare, quia etsi vitari possit re-
spectu hominis qui cõmunicat, non potest

a lib. 2. sum-
ma, tract. 2.
c. 5. q. 4.

b De celebr.
missarũ, c. 7.

c In Psal. 98.
ad illa verb.
Adorate sca-
bellum pe-
dum eius.

d Bonauent.
in 4. dist. 9.
Alb. Magn.
dist. 13. ar. 20.
Adr. quodl.
3. art. 3.

simpliciter vitari; nam ipsamet sumptio tali modo facta est actus religionis & cultus Dei respectu aliorum, qui etiamsi oculis non videant, adorant tamen id quod alteri datur ad communicandum. Ita D. Thomas (a), Alensis, Paludanus apud Magistrum.

a *sup. dist. 13.*
b *lib. de irregul. c. 20. n. 1.*

Dices: Annales de initiis regnorum (vt refert (b) Maiolus) narrant religiosos viros Hugoni à sancto Victore, doctissimo & sanctissimo viro in extremis desideranti Eucharistiam obtulisse hostiam non consecratam, quod propter languorem stomachi timerent periculum vomitus: ergo in articulo mortis, si timeatur tale periculum, vel desit hostia, & timeatur scandalum, licebit hostiam non consecratam offerre.

R. Religiosos illos fratres grauer peccasse, quod duplici miraculo Deus patefecit, vt citati annales testantur: Primo enim Deus reuelauit dicto Hugoni non esse hostiam consecratam, qui idcirco religiosos corripuit: Secundo, cum religiosi facti pœnitentes, alteram consecratam attulissent, ille à sumptione, propter vomitus periculum, abstinuit, nec non statim exspirauit: Eucharistia vero, quasi animæ sancti hominis ex hoc mundo migrantis

grantis adhæsit, nec vsquam amplius apparuit.

QVÆSTIO XXX.

Quid sit de illorum, qui sacramentum hoc proponunt agris ex mensa ad hoc composita sumendum?

Quæstionis explicatio.

Quidam Sacerdotes non audentes eucharistiam in os peste infectorum propriis manibus & digitis immittere, inveniunt diuersos modos dispensandi illam ægrotis, non manibus, sed externis quibusdam instrumentis adhibitis, puta, vel ex mensa, vel ex scutella, in qua Eucharistia est per pastorem decenter in corporali benedicto vel aliter collocata, vel ex forcipe, vel ex spatula, quibus vel infixæ est, vel retenta ipsa Eucharistia, & ori peste infectorum per pastorem admota: de quibus aliquid ex ordine dicendum est; & imprimis quid sit de modo ministrandi illorum, qui sacramentum hoc proponunt agris ore sumendum ex mensa ad hoc composita.

Responsio.

Non est licitus, quia est contra modernū
Aa 5 Eccle-

Ecclesiæ morem: nusquam enim hodie audimus
hostiam deponi à sacerdote in mensa vel
catino, ut inde, qui communicare velint,
ore vel manibus sumant; sed ubique pasto-
res suis digitis Eucharistiam in ore sumenti-
um mittunt, ut cuique notum est.

Dices. Plerique Doctores dicunt, pro-
babile valde esse, Christum Dominum in
prima dispensatione huius sacramenti, que
in mensa facta est, non applicuisse manu pro-
pria panem consecratum ad ora Apostolo-
rum, sed obtulisse tantum catinum, in quo
panes consecrati erant, ut inde singuli ma-
nibus propriis sumerent, quod indicare vi-
dentur hæc Christi verba: *Accipite & com-
edite.* Quod etiam de calice est euidentius,
ex his eiusdem Christi verbis: *Accipite & di-
uidite inter vos.* Obtulit ergo illis calicem con-
secratum, qui deinde per manus Apostolo-
rum fuit ab uno ad alium delatus: ergo præ-
dictus modus eucharistiam offerendi egro-
sumendam ex mensa in corporali vel pate-
na vel catino repositam est licitus, cum sit,
ut apparet, ritui, quem ipse Christus Domi-
nus in ministrando hoc sacramento obser-
uauit, conformis.

R. Non omnia, quæ fecit Christus in
cæna proposita esse nobis ad imitandum, (a-
lioquin licitum nobis esset, post cænam hoc
sacra-

facramentum sumere, quod est contra vniuersalem Ecclesie consuetudinem) sed illa sola, quae Ecclesia imitanda esse suo usu ostendit. Caeterum, quia hoc modo ministrandi non multum receditur a communi more Ecclesiae, nec facile scandalum inde oriri aut irreuerentia sacramento irrogari posset, si ad vitandum contagionis periculum grassante peste, & raris existētibus sacerdotibus aliquis modus ministrandi extraneus concedendus Superioribus videretur, ille inter alios maxime saluo Superiorum & cuiuscunque alterius melioris sententis iudicio accommodus videretur.

QVÆSTIO XXXI.

Quid sit de illorum, qui proponunt aegris ex scutellis sumendum?

Quaestionis explicatio.

Meminit (a) Maior huius modi ministrandi his verbis: *Inter scutellas etiam porrigendo sacramentum Eucharistiae, quam ore docebit patientem reuerenter tractare.* Quibus verbis videtur significare, suo tempore tolerere sacerdotes hoc modo peste infectis ministrare ad vitandum contagium. Huius occasio-

a Dist. 23, q. 1. §. Quarta arguitur.

380 DE NECES. ET MOD. MINIST.
cacione quæritur, quid de hoc modo dis-
pensandi censendum sit?

Responsio.

NEque hic est licitus saltem in his Pro-
uinciis, quia hæctenus non vidimus
in iis sic ministrari hoc sacramentum, ne
tempore quidem pestis: An tempore Ma-
ioris ille modus fuerit in Anglia vel Hiber-
nia grassante pestilentia ab Episcopis per-
missus, ille non dicit, quamuis videtur mo-
rem talem ministrandi præsupponere.

Dices. Hic modus maxime consenta-
neus est illi, quo iuxta quosdam creduntur
Apostoli sumpsisse panem consecratum ex
catino, siquidem catinus & scutella signifi-
cant vas, in quo cibi proponi solent in mē-
sa ad comedendum, neque vlla est diffe-
rentia, nisi quod catinus vas sit magnum,
scutella paruum, quæ est differentia acci-
dentaria: videtur ergo & ille modus ritui
Christi conformis.

R. Iam statim diximus, morem eum
nobis proponi ad imitandum, quem pro
tempore vsurpandum Ecclesia iudicârit:
Itaque si ad contagionis periculum, cum
desunt Sacerdotes, id pastori aut alteri Sa-
cerdoti à Superiore pro tempore permitta-
tur, eo licehit vti, sicut & præcedenti.

Q V Æ-

QVÆSTIO XXXII.

Quid sit de illorum, qui ministrant hoc sacramentum vsuali & communi pani inuolutum?

Quæstionis explicatio.

NVnciatum est mihi, hunc morem in quibusdam locis Galliaë vigere, mitti scilicet ad ægros peste Eucharistiam, pani vsuali inuolutam, quam cum eo vel sine eo sumant: neque enim satis perspectam habeo rationem agendi illorum. Quocirca quæritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

Responsio.

ESt illicitus, sicut & prior propter eandem causam: Accedit, quod qui commiscet panem consecratum pani non consecrato, non videtur sufficienter diiudicare nec distinguere hunc panem sacrū, sed potius tanquam profanum tractare, quod non videtur hoc tempore fieri posse absque magno scandalo, & tanti mysterii irreuerentia.

Dices. Christus Dominus dedit Iudæ hoc sacramētum sub forma panis intincti:
legi-

Ioan. 13.

legimus enim apud Ioannem, quod cum Iesus turbatus spiritu dixisset, *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me: & Ioannes rogasset, Domine quis est? Respondit Iesus, ille cui panem intinctum porrexero.* Et Ecclesia ipso die Parasceues neque consecrat vinum, neque pridie consecratum & reseruatum sumit, sed solum hostiam consecratam cum ablutione, hoc est, cum aqua, qua os abluatur: Ergo eodem modo licebit sumere panem consecratum cum alio non consecrato, vt illi in Gallia dicuntur facere.

a In Concor. Euangelica, t. 133. §. Respondit Iesus

Ad primum respondeo cum eruditissimo (a) Iansenio, intinctum istum panem non fuisse Eucharistiam, quia illam omnes Apostoli iam sumpserant ante sermonem de proditore, iuxta sententiam Diui Augustini, cuius tamen locum ille non citat. Ad alterum dicimus, esse propriam illius dici caeremoniam, de cuius initio non constat, quam Ecclesia iustissimis quibusdam de causis vsurpauit, vt videre licet apud probatos Auctores (b) Innocentium Primum (c) Rabanum, (d) Waldensem & Iuniores & propterea non posse in exemplum trahi, cum eadem causæ in hoc casu non militent.

b In Epis. ad Decent. Eugubini. Episc. cap. 4. c lib. 2. de instit. Cler. c. 3. d tom. 2. de sac. c. 88. c. 89.

Dices 2. Quotidie in ablutione calicis vinum non consecratum miscetur consecrato,

erato, quod in interiore calicis superficie post Dominici sanguinis sumptionem relinquitur, & si reperiantur quædam reliquæ Dominici corporis, recte illæ cum vino ablutionis sumuntur: videtur ergo tolerari posse modus ille ministrandi, quo consecratum inuoluunt non consecrato.

R. Aliud esse assumere voluntarie aliquid loco cæremonia, aliud permittere aliquid, quod vitari non potest: hoc enim posterius omni culpa caret, illud fieri non potest sine graui causa, eaque per Superiorem cognita.

QVÆSTIO XXXIII.

*Quid sit de illorum, qui oblongiori forcipe
vel aurea vel argentea, vel simili,
Eucharistiam tenent, & sic
ægro porrigunt?*

Quæstionis explicatio.

ET si exiguum admodum præsidium contra contagionis periculû sit, si quis ab ægro distet ad vnam vnam vel duas, cuius longitudinis ad summum forcipes solent esse, nihilominus dicuntur reperiri, qui ad huiusmodi remedia contra contagionem

384 DE NECES. ET MOD. MINIST.
nem recurrunt: Quæritur idcirco, quid
de illo censendum sit?

Responsio.

Nequè hic modus est licitus. Prohibet il-
lum tacite Illustrissimus simul & Reli-
giosissimus Cardinalis Borromæus: *Cauet*
a Concil. s. enim ne sacerdos, etiam pestis vitandæ causa, quâ
Mediolan p. minimum, qui nouus sit, in administratione sa-
2. §. Cautio in sacerdote ministrante,
v. At vero. *cramentorum, sed maxime Eucharistiæ ritum*
inducat, neue instrumentum, aliudue quid simi-
le, pro digitis adhibeat. Et probatur eodem
quo supra argumento: quia est contra Ec-
clesiæ cōsuetudinem, quæ nunquam hunc
mōrem in vsu habuit. Accedit, fieri irre-
uerentiam sacramento: nam sacerdos ex-
ponit illud periculo casus vel decussionis
in terram, vel etiā iniuriosæ fractionis: neq;
enim hostia tenuis potest moraliter loquē-
do teneri forcipe siue aurea siue argentea
sine periculo fractionis, nec ita certo & tu-
to poni in ore ægrotantis, præsertim pesti-
feri: tum quia peste infectus fere inque-
tus est, nec caput absque tremore & motu
retinere potest; tum quia ipse sacerdos, qui
sine instrumento oblongiori non audet
ministrare sacramentum, timore corrept⁹
ministrat, neque satis est præsentis animo,
qui tamen requiritur ad hoc, vt sacra ho-
stia

stia in ore sumentis recte collocetur, maxime cum experientia doceat, etiam extra casum pestis in ordinaria sacramentorum administratione, quæ fit in Ecclesia, sanis aliquando contingere, vt Eucharistia non satis apte in ore sumentium collocetur: propter quæ pericula Ecclesia, vt videre licet apud antiquos Patres & Doctores relatos apud (a) Gratianum, grauissimas pænas constituit contra eos, quorum negligentia aliquid de venerabili hoc sacramento frangeretur, vel in terram decideret. *Calicis aut panis non riri*, inquit (b) Tertullianus, *aliquid decuti in terrâ anxie patimur*. Et (c) Origenes: *Nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & ueneratione seruat, ne ex eo paruum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur, reos enim vos creditis, & recte creditis.*

Dices. Non est de sacramenti essentia, vt hoc sacramentum digitis sacerdotis ministraretur: poterit ergo minister alio instrumento uti, ad illud porrigendum ægrotanti, maxime in periculo contagionis

℞. Si non est de essentia sacramenti, esse de necessitate præcepti, quod sufficienter conuincit irreuerentiam, quam sacramen-

Bb to in-

a *De consecr. dist. 2. ca. Si per negligentiam.*

b *Lib. de corona militis, c. 3.*

c *Homil. 13. in Exodum.*

to inferri diximus, & scandalum proximo-
rū, q̄ moraliter hoc pacto ministrando e-
uenire necessum est. Et si peste grassante,
& deficientibus Sacerdotibus, ad euitan-
dum contagionis periculum, aliquis extra-
neus modus ministrandi concedi deberet,
hic non videretur concedendus, propter
rationes & pericula iam enumerata.

QVÆSTIO XXXIV.

*Quid sit de illorum, qui spatula oblongiori
Eucharistiam infigunt, & in os
peste infecti immit-
tunt?*

Quæstionis explicatio.

ET hic modus ministrandi à quibus-
dam vsurpari dicitur, sed stulte simul
& inepte. Stulte, quia (vt statim di-
ximus) ex illo nihil, vel parum admodum
presidii contra contagionem expectari po-
test. Impie, quia manifestam infert iniuri-
am huic sacramento. Quæritur idcirco,
quid de hac ratione ministrandi censen-
dum sit?

Responsio.

*Neque hic modus est licitus, sed repro-
bandus*

bandus, propter causas superioribus quaestionibus enumeratas.

Primum enim sacerdos hoc pacto contra morem Ecclesiae vsurpat extraneum instrumentum.

Deinde se exponit periculo sacrilegii.

Postremo scandalum spectantibus adfert, tum propter insuetudinem, tum quia prodit exiguum vel nullum erga suas oves amorem, vt qui ad vitandum corporale periculum ad tam extranea & sacramento iniuriosa remedia confugit.

Dices. Fieri potest, vt secreto & nemine conscio ministretur hoc sacramentum, neque vllum sit periculum casus vel excussio- nis sacramenti de spatula, quia illi fixè inhaeret: neque vlla fiat sacramento irruerentia, quia ministrans & recipiens viri sunt prudentes & timorati: poterit ergo secreto saltem hic modus ministrari.

R. Ista speculatiue considerando videtur vera: verum practice loquendo, nullam habere veri similitudinem: certum enim est moraliter aliquod horum incommodorum, quae superius annotauimus, ordinarie superuenturum.

ss ss

✠

Bb

2

Q V A-

QVÆSTIO XXXV.

Quid sit de illorum, qui digitis chyrotheca, vel simili aliqua re tectis, hoc Sacramentum ministrant?

Quæstionis explicatio.

*a Borrom. de
cura pest. ca.
15. numer. 2.*

Videtur & hic modus ministrandi in Italia à quibusdam sacerdotibus ad vitandum contagium vsurpatus: nam & illum (a) Illustrissimus Borromæus damnasse & prohibuisse videtur, cum dixit: *Neue instrumentum, aliudue quid simile ad ministrationem Eucharistie pro digitis, vel adeo in ipsis adhibeat*: Vetat enim (vt videtur) ne digiti, quibus sacramentum hoc contrectatur, vlla re, siue chyrotheca, siue alia simili sint cooperti: vult ergo digitis nudis teneri Eucharistiam, & sic in ore summentis deponi. Huius occasione quaeritur, quid de hoc modo ministrandi dicendum sit?

Responsio.

NEquè hic est licitus, propter rationes statim allegatas. Adde, quod stultum & parum cautum videtur, assumi mediū

medium ad fugiendam contagionem: nam si contactus vel labiorum, vel linguæ, vel salivæ peste infecti timeatur per digitos ministrantis discoopertos, potest & idem timeri per eosdem quocunque instrumento tectos, præsertim cum hoc modo ministrans non minus vicinus sit agro ad concipiendam tum tactu tum aliis sensibus contagionem, quàm si ordinario modo ministraret.

Dices. Episcopus ornans se vestibus sacris ad diuinum officium peragendum, post indutam dalmaticam, iuxta ritum Apostolorum, vt dicit (a) Durandus, manus coopertit chirothecis: ergo poterunt & sacerdotes vti illis ad sacramenta ministranda.

R. Episcopum ex antiquissimo Ecclesiæ more, propter significationem mysticam, quam ibi Durandus refert, obligare manus chyrothecis, dum legit vel cantat, vel progreditur vel populo benedicit; non autem dum confirmat, vel ordines confert, aut alia sacramenta conficit: vnde male illud ad iustificandum hunc modum ministrandi hoc sacramentum assumitur.

QVÆSTIO XXXVI.

Quid sit de illorum, qui dant sanis Eucharistiam aſſeruandam, vt, (i peste corripiantur, illam ſumant?

Quæſtionis explicatio.

C A s v s est talis: Timent ſubditi, ne pastore peste infecto vel mortuo nõ lit alius, qui Eucharistiam illis ministraret; Itaque petunt à pastore aliquas hostias sibi dari, quas in necessitate ſumant, vt dicuntur feciſſe Religioſæ in quodã clauſtro, quæ à Confessario peste correpto petierunt consecrari plures hostias, quas in sacra pixide ſeruauerunt, & postmodum peste correptæ, inde sibi ſumpſerunt & ministrarunt; quid de hoc modo agendi censendum?

Reſponſio.

N Equè hic modus est licitus, peccat enim multipliciter: Primo contra morem & conſuetudinem præſentis Eccleſiæ, quæ non ſolet dare Eucharistiam, vt aſſeruetur in (a) priuatis & profanis ædibus. Deinde, quia committit laicis (b) & ſæcula-

a Conc. Tol.

l. c. 14.

b c. Peruenit

de consecrat.

dist. 3.

ſæcularibus aſſeruandam Euchariftiam, quibus vel ipſa (a) vaſa ſacra contingere p-
 hibitum eſt. Poſtremo, quia iniuriam fa-
 cit ſacramento, exponit enim illud multis
 abuſibus etiam ſacrilegis, vt videre licet in
 Conciliis (b) Toletano, (c) Cæſarauguſta-
 no: & præſertim ſi ſtatum huius temporis
 conſideremus, quo paſſim malefici & ſage
 abutuntur ſacramentis, & præſertim Eu-
 chariſtia, ad ſua maleficia patrandæ, vt a-
 pud Paulum (d) Grillandum & alios vide-
 re eſt.

a *Con. Rom.*
 2. *ſub Sylueſ.*
can. 9.

b *Tol. l. 6. 14.*
 c *Cæſar. c. 3.*

d *Tract. de*
ſacril. q. 3. n.
 9.

Dices. In primitiua Eccleſia in more po-
 ſitum fuit, vt priuati acceptam à ſacerdote
 in Eccleſia Euchariftiam ſecum domum
 deferrent & ſeruarent, qua pro oportuni-
 tate & neceſſitate communicarent: Cuius
 conſuetudinis teſtes ſunt D. (e) Baſilius: In
 Alexandria & Egypto (inquit) vnusquiſq; de po-
 pulo habet communionem in domo ſua acceptam
 à ſacerdote ſacrificante & diſtribuente. Et (f)
 Tertullianus: Neſciet (inquit) maritus, quid
 ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit, pa-
 nem non illum eſſe credet, qui dicitur.

e *Epistol ad*
Cæſ. Patrit.

f *Lib. 2. ad*
uxorem.

¶. Huiusmodi conſuetudinem pri-
 mitiua Eccleſiæ, ſicut & alias quaſdam,
 (de quibus ante diximus) aliquot ſæcu-
 lis toleratam fuiſſe, propter paucitatem &

Bb 4 rarita-

a *Serm. 156.*
 de *Tempore*
 b *Hist. Angl.*
 lib. 4. ca. 24.

raritatem Ecclesiarum & sacerdotum, nec non insignem pietatem Christianorum, quae ea religiosissime & sanctissime utebantur, ut videre est apud D. Augustinum (a) Bedam (b) & alios: verum progressu temporis, crescente numero sacerdotum, refrigerante etiam pietate & religione Christianorum, prohibitum fuisse alibi asseruari Eucharistiam, quam in templis idcirco consecratis, ut videre licet in Conciliis Toletano & Caesaraugustano ante citatis. Itaque non ad illam antiquam consuetudinem respicere debemus: facies enim Ecclesiae ab illo tempore plane immutata est, sed ad praesentem sacris Canonibus & modernis fidelium moribus attemperatam.

QVÆSTIO XXXVII.

Quibus modis potissimum peccari solet in administratione sacramenti Eucharistiae tempore peccatis?

Quaestionis explicatio.

Consueta methodo mouetur haec quaestio, ut breuiter recenseam peccata, quae frequentius accidere solent tempore peccatis in consecratione & administratione sacra-

sacramenti Eucharistiæ, cui quæstioni satisfiet, si summam attingamus quæ hoc capite fusius per quæstiones plures distinguimus.

Responsio.

Peccat primo, qui tempore pestis regulariter non ministrat hoc sacramentum etiam cum periculo vitæ.

2. Sacerdos religiosus qui absente siue iuste siue iniuste pastore, rogatus ab ægro, non vult illi ministrare, & est mortale contra charitatem proximi.

3. Similiter Diaconus, qui absente pastore, vt ante dictum est, rogatus recusat ministrare.

4. Pastor qui non omnibus, sed tantum quibusdam ministrat, cum tamẽ morali diligentia adhibita, pluribus ministrare posset, & est mortale contra iustitiam & charitatem.

5. Qui non ministrat amentibus & in furorem actis, si alias sint bene dispositi, & nullum subest periculum irreuerentiæ sacramenti.

6. Qui non ministrat non valentibus petere præ magnitudine morbi, vel alias, si alioqui sint bene dispositi.

7. Qui non ministrant pueris peste infectis

Bb 5

394 DE NECES. ET MOD. MINIST.
fectis, si ante conceptam pestem cœperant
confiteri & communicare.

8. Qui non ministrant suspectis de pec-
cato mortali, etiam violenter, si ægri pecca-
tum negent, & sacramentum sibi dari pe-
tant.

9. Et qui publice negat iis, quos per
cōfessionem scit in peccato mortali versari.

10. Et qui negat publicis vsurariis, me-
reticibus, concubinariis, si signa contritio-
nis exhibeant.

11. Contra, qui ministrat iis, quos pro-
babiliter scit passuros vomitū, vel quos p-
pter linguæ tumorem, vel ariditatem & lic-
citatē, vel difficiliorem respirationem,
vel nimis frequentem sternutationem, tuf-
sim, singultum, vel cruoris excreationem,
vel aliam similem passionem scit non posse
species sacramentales dimittere in sto-
machum. Et qui huiusmodi ægris defert
Eucharistiam ad deosculandum.

12. Et qui non ministrat de peste sus-
pectis, rite dispositis.

13. Et qui sibi ipsi peste infecto non mi-
nistrat, si non est alius sacerdos, qui illi dis-
pensat.

14. Qui vt ministret hoc sacramentum
consecrat speciem panis extra sacrificium
missæ.

15 Simi-

15. Similiter qui vt ministrat non habens speciem panis consecrat tantum speciem vini.

16. Et qui in missa consecrat vtramque speciem, sed ministrat ægro speciem vini.

17. Sic & ille qui vtramq; speciem consecrat, sed alteram in pane fermentato.

18. Similiter ille qui celebrat non ieiunus, vt ægro sacramentum ministrare possit,

19. Qui à longè positus, non habens hostiam, consecrat illam, quam æger in manibus habet.

20. Qui in tam multas partes hostiam populo distribuendam diuidit, vt, moraliter loquendo, non possit distribui sine irreuerentia sacramenti, & scandalo populi.

21. Et ille qui non habens hostiam consecratam porrigit non consecratam.

22. Similiter qui non audens accedere peste infectum propter periculum contagionis à longè positus, proponit ægris ex mela ad hoc composita sumendam.

23. Et qui proponit ægris sumendam ex scutellis.

24. Nec non ille qui pani vsuali & communi inuolutum ministrat.

25. Et ille qui oblongiori forcipe Eucharistiam tenet, & sic ægro ministrat.

26. Et

26. Et ille qui spatulæ oblongiori Eucharistiam infigit, & sic in os peste infecti immittit.

27. Pariter & ille, qui dat sanis Eucharistiam domi asservandam, vt si peste corripiantur illam sumant.

Dices: Quale peccatum non seruare ritus ecclesiæ consuetos in ministranda peste infectis vel de ea suspectis, Eucharistia?

R. Est mortale contra virtutem religionis, vt ante ex Turrecremata, & Iacobo de Graffis annotauimus.



CAPVT